Secs

Ius Magdeburgicum.

Kirsteyn Joan. Enchiridion aliquot locorum communium Iuris Majdenburg. Crac. in off. Laz. Mathias Andreos. 1616.

Należy do Groickiego: Porządek Sądów.

ENCHIRIDION aliquot locorum communium Iuris Maidenburgeñ.

Per Joannem Kirsteyn CERASINVM, *eiusdem Iuris in Arce Cracouien: Aduocatum, obiter explicatorum.*



Forsitan hæc aliquis, nam sunt quoq; parua vocabit,
Et si non prosunt singula, multa iuuant.

CRACOVIÆ,
In Officina Lazari. Mathias Andreouieñ:
Anno Domini, 1616.

PRÆFATIO.

QVantum solicitudinis & studij in Iure dicendo fuerit maioribus nostris, vel hinc æstimare licet. Quod illi Romanorum exemplum imitati (qui inclytas Solonis leges ex Græcia Romã transtulerunt) operæprecium quoque arbitrati sunt à vicinis Saxonibus petita Iura Maidenburgensia in Poloniam traducere. Quorum sensa, fieri potest, vt illius seculi homines rectiùs quàm nunc fieri videmus, assequuti fuerint. At certè, vt meo exemplo dicam, ista ætate ingentem in illis cæcitatem & profundissimam caliginem experior: Quis enim etiamsi Thesei filio nitatur, sese euoluere possit ex illis inexplicabilibus labirinthis, vbi autor inextricabili mixtura omnia commiscens & confundens nunc ad Prouinciale, nunc ad Feudale, nunc ad Municipale Ius videtur oculos intendere. Huc accedunt complures scrupuli veteris linguæ Saxonicæ, qua Iura Municipalia potissimum prodita sunt, de quibus etiam hoc tempore magna est inter scriptores contentio, dum vocem dubiam alius in hunc, alius in diuersum sensum contorquere nititur. Quemadmodũ plerumq; vsu venire solet, vbi res graues eiusmodi lingua prosperitati traduntur, quæ nullis neque regulis, neq; præceptis est astricta. Porro interpretatio Latina, quæ obscuris lucem adferre debebat, eisdem quodammodo plus quam Cimmerijs tenebris est inuoluta. Quippe in qua, relicta sunt barbara vocabula waranda, warendare, Gerada, wergeldus, & alia eius generis, quæ nemo nisi Saxonicæ linguæ peritus rectè intelligit. Scæuola fertur ad Sulpicium Iureconsultum dixisse. Turpe esse in foro versanti Ius ignorare in quo versatur: Quanam tandem ratione à culpa vacabunt nonnullarum Ciuitatum Oppidorumq; Decuriones, qui ne à limine quidem penetralia Iurium, quibus quasi corporum neruis Ciuitatum & Oppidorum compago continetur, vnquam adierint. Et profectò qui eiusmodi imperitis hominibus Reipub: habenas commitunt, non minus stultè faciunt, quam qui vel pueris vel furiosis gladium tradendum

putant: quod aliquando grauißime & prudentißime dicentem audiui Illustriß. & fortißimum Heroa Dominum Ioannem Comitem à Tharnow Castellanum Cracouień: quo inter principes viros nemine alium apud nos reperies in prudentia Iuris nostri summa cum laude magis versatum. Porro instituto satis probabili magnis stipendiis publicæ aluntur viri docti, qui partim leges Imperiales, partim Iura Canonica profitentur. At nullum hactenus vidi Professorem, qui vel Regni Statuta generalia, vel iura Maidenburgensia sibi enarranda desumpsisset, quorum, nisi fallor, apud nos frequentior est vsus quam illorum. Hæc mecum animo complectens, quum nuper ob pestis metum Cracouiæ grassantis secedens pingui ocio vt, Pliniano verbo vtar, abundarem, selegi ex Iure Maidenburgensi quosdam locos communes in Enchiridij formam, vt libellus sit gestatu commodior, redactos, quos in gratiam iuuentutis Polonæ breui enarratiuncula obiter explicandos existimaui, idq; meo more, pingui, quod aiunt, Minerua, non abstinens interim ab vsu receptis, etiamsi barbaris, forensibus vocabulis, quibus, docendi causa tantisper vtendum erit: donec leguleorum centuriæ meliora inuenerint. Quæ quidem licet videantur, ita vt sunt, vulgata & protrita, tamen iuuentus istis rudimentis vtcumque imbuta, poterit deinde reliqua maiore cum fructu ex ipsis fontibus petere. Sed nasutus quispiam forte cauillabitur, inanem atque ociosam esse hanc meam opellam, vt qui in hoc Enchiridion congesserim, quæ ante hæc in Cracouień: promptuario (quod rectius Index vocaretur) fusius sunt perscripta. Sit ita sane: sed quæ tandem est inuidia, si vel aliquos locos obscuros explicauerim, vel quædam hic adiecerim in illo etiam promptuario antea pertractata: Quasi vero autor illud opus suum ex aliorum quoq; & præsertim Saxonicis Iudicibus non consarcinarit. Vetus est illud, & à Terentio vsurpatum: Nullum esse dictum, quod non dictum sit prius.

GERA-

Gerada ſeu Parapherna.

QVæcunque doti accedunt. Geradæ nomine cenſentur, quæ ideo ab illis Græca voce Parapherna vocari ſolent. Quod ſi in peregrina Saxonica lingua diuinare licet, Gerada dicitur quicquid vltra dotem ad elocandam virginem datum eſt. Nam elocatam virginem Germanicè vocamus ein außgeraten iungfraw / & elocare au ſraten, inde quaſi in nomen Latinum deflexa eſt vox Gerada, quæ vtentium ſermonibus ad nos vſque eſt propagata. Quemadmodum verò pro diuerſitate ſtatus hominum trifariam diſtincta ſunt Iura Saxonica: Nempe in Feudale, Prouinciale, & Municipale. Quorum poſtremum peculiare eſt Ciuitatis Maidenburgen. ita etiam ſuis quæque finibus circumſcriptam habent Geradam, eo quod diuerſi diuerſis quoque rebus filias ſuas matrimonio iungendas, vel mundo muliebri ornare, vel penum & rem familiarem ſponſi inſtruere conſueuerunt. Hinc eſt quod Iure Prouinciali ad Geradam pertinent anſeres & oues, non alia quidem ratione niſi quod nupta illos ad mariti œconomiam ſecum traduxiſſe videtur: Quum tamē Iure Municipali eiuſmodi pecora ſpectent ad hæreditatem. & in hac parte ingens eſt rerum confuſio, dum ex beneficio cuiuſlibet Iuris, (quod vt commemoratum eſt, trifariam diuiditur) peculiarem ſibi quiſque Geradam conatur vendicare.

Interpres Latinus Geradam nominat Vtenſilia, voce magis trita quam recepta. intra curriculum anni & ſex hebdomadarum repetenda ſunt, tam arma bellica quam Gerada, alioqui cedunt Iudici. Spec: Saxo: lib: 1. art: 28. Et hoc notandum eſt ſingulariter quod eo in caſu tam breuis introducta ſit præſcriptio.

Mulieres constante matrimonio nullam possessionem in rebus mobilibus sibi possunt vendicare, excepta Gerada. Inde consequitur etiam si in occlusa arcula, cuius sola vxor clauem haberet, reperirietur pecunia aut aliæ res mobiles, nihil tamẽ inde decedet iuribus mariti, ad quem ea omnia mobilia, iure quodã proprio, pertinent, de mpta sola, vt dictum est, Gerada. Quemadmodum habetur Spec: Sax. lib: 1. articulo 31. in textu & glosa.

Clericus non beneficiatus cum sorore sua æquali portione succedit in parapherna matris defunctæ. Spec: Saxon: lib: 1. art: 5. & adiecta est ibidem in glosa frigidissima ratio, nempe id fieri propter orationes quas fundunt & fundere debent vniuersaliter pro omnibus.

In glosa artic: 23. Iuris Municipalis habetur regula generalis, quod arma bellica quæ Hergew et vulgo dicuntur non nisi à morte agnati. Et Gerada duntaxat à morte cognatæ nomen suum sortiuntur. Hinc corruere videntur omnes argumentationes quæ partim in eadem glosa, partim in annotationibus marginalibus. Speculo Saxonum lib: 1. arti: 27. extant perscriptæ. Quod scilicet mulier viuens citra assensum cognatæ suæ non quæat Geradam alienare. Etenim si Gerada non nisi à morte possessorum in nomen & naturam suam transire potest, censentur ergo domini rerum non Geradã sed alia mobilia alienasse. Alioqui si vel agnati vel cognatæ viuentes tam diris legibus astringerentur, impediri eos necesse esset in propriarum rerum vsu ac dominio, quod à iurium sanctionibus prorsus est alienũ. Et videmus vsu, qui teste Liuio corrector est legum, diuersum obseruari, ipsasque fœminas in humanis agentes quicquid eorum animo collibitum est, pro suo arbitrio de Gerada statuere.

Hoc indubitatum est, omnem mundum muliebrem & supellectilem domesticam ad Geradam pertinere, sed cũ

ea moderatione & restrictione, vt de illa tantum cognatæ superstiti cedat, quantum per defunctam consanguineam in ædes mariti illarum fuerit. Alioqui non solum ab æquitate remotum, sed inhumanum etiam foret, maritum spoliare illis rebus quas suo sumptu durante matrimonio ad necessitatem domesticam comparauit.

Porro vasa aurea & argentea ad Hereditatem computātur. Reliqua omnia siue ex auro, argento, serico, panno, siue ex linea materia in vsum ornandarum aut vestiendarum mulierum fabrefacta & concinnata, quæque illæ corporibus suis gestauerunt, ad Geradam pertinere dinoscuntur. Pannus vero, tella & alia eius generis, quæ parandis vestibus nondum concisa sunt, Geradæ iuribus haud quaquam subiacebunt.

Præterea Geradæ nomine censeri non debent res illæ, quibus mariti questum facere victumque parare consueuerunt. Neque enim ornamenta mulierum, quæ vel à mercatoribus distrahuntur, vel ab aurificibus fabricantur, in hanc classem sunt connumeranda. Eadem quoque ratio est Pandocheorum publicis diuersorijs vitam sustentatium Iure Municipali articulo 23. in textu & glosa.

Immensum vero pelagus mihi esset ingrediendum, si omnia ad Geradam spectantia, quæ mundus muliebris complectitur, singillatim coner enumerare. In tanto enim luxu continuis auctibus increscente, in tanta denique gentium & morum diuersitate, Quis omnes vestium formas & species oratione complecti queat? præsertim cum ista tempestate, contempta maiorum frugalitate & modestia, nihil nisi exotica atq; externa nobis placeant, ita luxu diffluente & reiecto patriæ vestitu in singulos fere dies, nouas easque monstruosas vestium formas inuitis plane oculis contuemur, à quibus enumerandis nam id infinitum esset, consulto abstinentes,

lectorē ad ipsos iuriū fontes potius relegādū esse putauimus.

Quanquam vero non sum nescius modis omnibus fugiendam esse correctionem abrogationemq; iurium, quibus condendis à sapientissimis viris magnopere sudatum esse conspicimus. Et haud dubie constabat illis suorum consiliorum iusta ratio, quorum impulsu hæc & alia santienda existimarunt. Sed quoniā alia ætas alios mores postulat & pro ratione temporū ac personarū, maximè vbi euidēs suasi vel necessitas vel vtilitas, haud quaquam absurdū putarunt prudentissimi, quique Legumlatores pleraque aut mutare aut in vniuersum tollere. Proinde ego autor esse velim omnibus Ciuitatum Decurionibus & præfectis, vt Geradam ipsam, vti rem perniciosam, & perpetuum seminarium nunquam finiendarum litium è corpore Iuris penitus tollant, & à suis tribunalibus procul propellant. Idem etiam de armis bellicis sentio. Deinceps verò aliarum legum ac constitutionum exemplo, in omnia morientium bona succedant, quicumque aut propinquitatis, aut quæsito Iure ad hæreditatem vocantur, semota omni sexuum aut personarum discretione, quæ nescio quam ob causam à Nomothetis Legum Maidenburgen: est inuecta, vt alius sit hæres Geradæ, alius armorum bellicorum aliorumq; bonorum, vt habetur in textu Spec: Sax: lib: 1. arti: 27. Quæ distinctio quid aliud peperit, quam fontem perpetuorum dissidiorum: Cuius rei deploranda exempla paucis retro actis diebus in vrbe Crauien: & vidimus & detestati sumus: Eo enim ventum erat, vt gliscente lite, & vehementer exulceratis contendentium animis, Geradæ interpretationem & specificationem, quoniam latissime patet, ad suum quisque sensum mordicus trahere conaretur. Qua de re, adhuc sub Iudice his pendet, incertum quem nam exitum sit habitura. Quis enim, vt redeam vnde digressus sum, non abominetur nimiam in hac

parte

parte Saxonicarum Legum duriciem, ſeu abſurditatem potius, qua effectum eſt, vt ſæpènumero cognatæ in quarta aut quinta linea in ſuccēdo prælatæ ſunt filijs & ſuis hæredibus, quibus tamen de iure communi legitima debebatur: Et vt res propoſito exemplo magis inclareſcat. Decedit mater ſūptuoſa & ſplendida, cuius tota ſubſtantia conſiſtit in mundo muliebri, vnico filio aut pluribus relictis, quibus meritò æquitate ſuadente competeret bonorum maternorum ſucceſſio, & tamen ex obſeruatione Iuris Maidenburgeñ: per cognatam à percipienda Gerada peſſimo exemplo excluduntur. Hæc ſi non eſt execranda impietas ſummæ crudelitati coñiuncta, haud ſcio quid deinceps impietatis nomine cēſeri poſſit? Hiſce atq; alijs decauſis non ita pridem Conſulatus & populus Cracouien: ſua plebiſcita de Gerada partim moderati ſunt, partim abrogarunt: Quorum quidem exēplum ſi reliquæ Ciuitates in hac parte æmularentur, cernere eſſet breui multos inteſtinorū diſſidiorum fomites è medio ſublatos iri.

Arma bellica: Heerge-wet.

Arma bellica pro corpore vnius viri, & quæ ad ea connumerantur, de iure proueñiunt agnato: Si quidem fuerit militiæ cingulo inſignitus, id enim liquido textus indicat Spec: Sax: lib: 1. art: 27. Quanquam vſus diuerſum obtinuit, vt non obſeruatu ſanguinis & natalium diſcrimine, agnatis ea arma cedant. Vbi vero duobus tribuſué ad vna eademque arma agnationis iura competunt, ſenior in tutelæ ſignum gladium præ alijs accipit, in reliquis æquali diuiſionis portione gaudebunt.

Interpres Latinus vocat arma bellica expeditorias. Quia verò inter arma bellica connumerantur quotidianæ veſtes, eas nimirum intelligi debere Scabini Lipſen: definiunt: quæ

quotidianis vſibus & bello gerendo ſeruiunt, non autem eas quæ ad cultum decori atque honeſtatis cauſa comparantur. Atq; inde nonulli à contrario ſenſu argumentum ducunt ad Geradam ſimili quoq; modo duntaxat quottidianas veſtes pertinere, quod tamen à vero eſt alienum.

Iam ſi quis exemplo Geradæ, ipſa etiam arma bellica è corpore iuris procul eliminãda cenſeret, ſequuturus in adeundis hæreditatibus ſecũdùm præclaras Legum ſanctiones, illam ab omnibus merito laudatam æqualitatem, non admodum refragabor, faceret enim ea res plurimum, tum ad alendam animorum concordiam, quæ eſt tenaciſſimum retinendæ ciuilis ſocietatis vinculum, tum etiam ad remouendas diſſidiorum anſas, quæ plerumq; ex iſta iurium diuerſitate naſci conſueuerunt: Interim tamen nemini quicquam decederet, ſi vniuerſi vna eademq; lege tenerentur. Sed in his fruatur ſuo quiſq; iudicio:

Quæ autem ex iuris præſcripto ad arma bellicá pertineant, conſule. Spë: Sa: lib: 1. art: 22. 23. 27. Iure Mun: art: 25. 26.

Varanda.

VT autem actorum querelæ intra certos fines conſiſterent, neque reum continuis libelli mutationibus fluctuantem, quid potiſſimum reſpondendum ſit ſuſpenſum teneret, inuentum eſt remedium per Varandam quæ vox, vt eſt Saxonica, ſi ad linguæ Latinæ ethymon ſpectes euictionem ſignificare videtur. cuius ea potiſſima vis eſt, vt illa per actorem præſtita, iam nulla amplius ei mutandi & augendi libelli relinquatur facultas.

Varandam maximè requirunt actiones criminales, vtpotè cuius violatæ grauiores etiam pœnæ ſequuntur, nempè amputatio eius manus, quaquis Varandam præſtiterit. Vſus tamen illã quoq; introduxit ad actiones Ciuiles. Hanc po-

tiſſimum

tiſſimum ob cauſam, vt actores hoc iuris beneficio à crebra libellorum variatione cohiberentur. Spe: Sa: lib:2. art:15.26.

Receptum eſt vulgato more, Varandam erectis atq; tunica inuolutis digitis præſtari, quæ res pleriſq; videtur habere magnam abſurditatem. Nam ſi accuratius excuſeris pleroſque locos de Varanda præſcriptos, comperies eos magis referri ad promittendam quam præſtandam Varandam. Inde conuenientius eſſet, meo equidem iudicio, vt auctor data dextra Iudici Varandam, id eſt, euictionem promitteret. Nō deſunt etiam hoc tempore captioſi rabulæ qui ab actoribus non verentur ſub inde poſtulare Varandam cautione firmati. Quod quum nulla iuiis ratione, ſed duntaxat ad eludendos actores excogitatum ſit, manifeſtam denique contineat iniquitatem, non eſt trahendum ad conſequentias. Nam per iſtam viam & captiunculam externi ac tenuioris fortunæ homines à proſequendis cauſis ſuis propulſarentur. Quomodo enim ſatis daret homo tenuis. ignotus aduena? qui alioqui, deficientibus fideiuſſoribus, ad iuratoriam cautionem eſſe admittendus: Neque mihi ſatisfaciunt quæ pro diuerſa ſentencia, ex gloſa Iure Mun: art: 23. allegantur. Nam articulus 15. lib: 2. Spec: Sax: ibidem in medium adductus, planè diuerſum ſentire videtur, ad promiſſionem, vt dictum eſt, omnia referens.

Poſteaquam vrgente reo, actor Varandam præſtiterit, non poterit deinde reus neq; vllis exceptionibus reſponſionem declinare, neque actori iuramentum deferre, ſed cogitur ſine ambagibus & diuerticulis ad libellum reſpondere. Et enim per ſuſceptionem Varandæ iam cenſetur ſeſe ad reſpondendum obligaſſe. Spec: Sax: lib:1. artic: 6.

Dos Dotalicium.

INterpres Latinus iſta vocabula Dos & Dotalicium multis

in locis confundit vnum pro altero vſurpans, quum tamen in eis magna ſit diuerſitas. Quem errorem ſi quis euitare velit, Dotalicium propriè vocabit, vel Donationem propter nuptias, vel donationem cauſa mortis à cuius euentu ipſa potiſſimum pendet. Dotis vero nomen complectitur quicquid bonorum per nuptam propter onera matrimonii marito confertur, cuius æſtimationi, Dotalicium quoque (vtendũ eſt enim vocibus forenſibus) reſpondere debet, niſi in pactis alter conuenerit, Inde vocamus virginem bene dotatã. Et Comici pudicitiam optimam dotem nominant.

Iure Prouinciali ad Dotalicium computantur ſerui, ancillæ, pecora, ædificiaque, vt habetur Spec: Sax. lib: 1. art: 20. Proinde eam donationis ſpeciem à viris equeſtris ordinis maximè frequentatam, autor vocat Sponſaliciam largitatem. Ea fiebat poſtridiè nuptiarum, antequam menſæ accumbebant quando ſponſus ſponſæ dono dedit ſeruum, ancillam, pecora, & alia id genus. Sed ea quoque iam exoleuit poſteaquam coruſcante Euangelii luce ſeruitutum & mancipiorũ tenebricoſa Barbaries apud Chriſtianos euanuit.

Prudentiſſimi Legum conditores conſulere volentes mulierum fragilitati, hac illas prærogatiua condonandas eſſe putarunt, vt in probando Dotalicio deficientibus teſtibus, illarum iuramento ſtetur. Ad demonſtrandam autem, poſſeſſionem teſtes requirebantur: vt habet textus Spec: Sax: lib: 1. artic: 20. Et fuerunt fortaſſis aliquando ſynceriora tempora, quibus per hanc conſtitutionem nemo ſe grauatum ſenſit. At hoc ſeculo pluſquam ferreo dum homines furiis quodam modo exagitati ad omne nefas ruunt præcipites, nihil hac lege pernicioſius, inuentæ ſunt noſtra tempeſtate viduæ, quæ reiecto pudore, immemores fidei & debiti coniugalis, oblitæ deniquæ filiorum filiarumque, auſæ fuerint repugnantæ propria conſcientia de ingentibus peccuniarũ

ſummis

ſummis, edere iniquiſſima iuramenta, & tenellis pueris per ſummum ſcelus & impietatem, bonam ſubſtantiæ paternæ portionem fraudulenter eripere, nihil interim adiuuantibus bonorum virorum contrariis teſtimoniis, quæ in pleriſq; caſibus reiecta eſſe memini ab his, qui literæ potius quã æquitati mordicus inhærentes à ſummo illo & ſtricto iure putarũt minime recedendum eſſe: quaſi vero iura, quæ tuendis oppreſſis condita ſunt, eſſe debeant rapinarum patrocinia & adminicula: Hæc deplorare licet, emendare non item. Vtinam principes viri qui ad gubernacula Reipub: ſedẽt, eam ſibi curam aliquando deſumerent. Et meo ſanè iudicio. facillimum eſſet huic malo dignum remedium inuenire. Nimirum ſi nullum Dotalicium eſſet ratum, quod mox à nuptiis non ſit in publica Actorum monumenta relatum. Nam quum iſta ætate non ſolum in Ciuitatibus & Oppidulis, ſed etiam in Pagis paſſim acta habeantur, quid quæſo facilius quã Dotalicium Actis inſcribere, & futuris litibus difficultatibuſque viam præcludere.

Maritus ſi vxori Dotalicium denominet ſuper omnibus bonis ſuis indiſtincte, & deinde eadem bona durãte matrimonio obligationum nexibus inuoluat, creditor ille obligatione fretus præfertur tam Dotalicio, quam aliis creditoribus Dotalicium vero ſuccedit, ſecundum apertam gloſã Iure Mun: art: 22. Concordat etiam L. fina. C. Qui potio. in pig. ha. Quanquam non ſum neſcius quoſdam Iudices in vltima inſtantia non ita pridem diuerſum pronunciaſſe. Sed nobis ſemper ob oculos poſitum eſſe debet, non exẽplis ſed legibus iudicari oportere.

Vbi maritus viuens nihil Dotalicij nomine vxori deſignauit, eo decedente, illa in tertiam bonorum mariti defuncti portionẽ ſuccedit, ſiquidem ea cõmuni opera & ſudore parta fuerint, ſin minus, quarta bonorum parte illam con-

tentam eſſe oportebit, quanquam vſus & conſuetudo magis tertiam bonorum portionem complectuntur. Spe: Sax: lib: 1. art: 21. & 24. & Iure Munic: artic: 72.

Viduæ licet à morte mariti Dotalicium ſuum in quemcumque voluerit vel hæredem, vel extraneum pro ſuo arbitratu transferre. Quod ſi forte non ſit inſcriptum, parum efficax eſſe cenſetur omnis ceſſio, niſi illa viuens re ipſa perceptum Dotalicium in ſuam ipſius poſſeſſionem acquiſiuiſſet. Ideo fieri videtur, quod viduæ in viuis exiſtentes, ex Iuris beneficio ad probationem Dotalicii per iuramenta admittuntur. Quæ quidem prærogatiua an illius hæredibus competat, nondum video definitum eſſe.

Porro articulum 38. Lib: 3. qui ad præſentem cauſam nonnihil alludere videtur, in Germanicis voluminibus clarioribus verbis perſcriptum inuenio: Nempe vxorem non poſſe viuente marito Dotalicium ad hæredes ſuos tranſmittere, niſi poſteaquam ab ipſius morte illud perceperit.

Quod vero autor meminit Dotalicij poſſeſſionem teſtibus probandam eſſe, hoc eo pertinet, quod rudi illo ſeculo Iudicum tribunalia Actorum monumētis carebant, quicquid tum gerebatur, vel Iudicum, vel teſtium probationibus demonſtrari oportebat, quod etiam clarius liquet ex textu art: 57. Iure Municipali.

Vſucapio ſeu Præſcriptio.

MOdeſtinus in lib: 3. ff. de Vſucap. aptiſſimè deffinit præſcriptionē, quæ alias Vſucapio dicitur. Vſucapio inquit, eſt acquiſitio vel adiectio dominii per continuationē poſſeſſionis, temporis lege deffiniti, hoc eſt, dum ex ſola cōtinuata, & non interrupta bonorum poſſeſſione, nullis aliis iurium titulis accedentibus ipſi poſſeſſori ius acquiritur. Alioqui ſi ei competunt alii legittimi, ſucceſſionum, emptionū

aut donationum tituli, nihil prorſus opus habet præſcriptionum adminiculis. Et quoniam Regulariter omnis actio ſiue in rem. ſiue in perſonam ſpacio triginta annorum tollitur, ita etiam de iure noſtro quicumque per curriculum triginta vnius anni & ſex ſeptimanarum, continuam & non interpellatam bonorum poſſeſſionem obtinuerit, iam præſcriptione tam contra præſentes, quam abſentes ſatis munitus, minime neceſſe habet alios titulos in medium adferre. Spec: Sax: lib: 1. artic: 29.

Præſcriptionum multa ſunt genera, vt potè annorum, menſium, dierum, ſed quantum commemini, in Iure noſtro duo duntaxat reperiuntur. nempe longiſsimi temporis præſcriptio, quæ ſpatio 31. anni & ſex ſeptimanarum finitur, & alia, quæ reuolutio, anno & ſex habdomadibus abſoluitur. Inuenta eſt autem ob id præſcriptio, ne rerum dominia eſſent in incerto.

Ad veram præſcriptionem requiritur titulus, bona fides, & poſſeſsio vt ipſa bona, ab eo quem credas verum Dominum eſſe, legittima traditione & poſſeſsione interueniente, conſequare. Alioqui vſucapio non procedit ſine titulo & poſſeſsione, quæ eſt ſtabiliſsimum fundamentũ præſcriptionis. Spec: Sax: Libro 1. articulo 29.

Res fiſci, res ſacræ & furtiuæ, deniq; mutua, commodata, & depoſita non præſcribunt, L. Neque C. quib. non ob: lon: tem: præ.

Ex textu art: 44. Lib: 2. 55. colligitur anni & diei continuatam poſſeſsionem, confirmare præſcriptionem, neque diſtinguitur num de mobilibus aut immobilibus bonis hoc ſit accipiendum. Per annum autem & diem intellige annum & ſex hebdomadas quæ loquendi forma clarius explicatur per artic: 28. Libro 1. Spec: Sax.

In bonis immobilibus contra abſentes præſcribitur in

31. anno

31. anno & die. Contra præsentes vero donationem bonorum audientes & tacentes in instanti procedit præscriptio, Spe: Sax. Lib: 2. art. 6.

Pueris iusta ætate carentibus nulla nocet præscriptio, nisi egressi annum xiiij. per vnius anni & sex septimanarum spacia tacendo iuri suo derogauerint. Iure Municip: articulo 21. in glosa.

Bona mobilia intra anni currentis terminum præscribunt, id eò fieri videtur, quòd venditor non tenetur illa longius quam anno & die euincere secundùm artic: 21. Iure Munic: Cuius diuersum licet habetur. Sp. Sax: Lib: 3. art. 83. & Iure Munic. art. 30. Vbi euictio ad vitam venditoris, quam diu in humanis est, astringitur: quod tamen contra absentes est intelligendum, aut ad illam longissimi temporis præscriptionem, de qua supra dictum est, redigendum. Nam contra præsentes sufficit vnius anni & diei euictio.

Bona per successionem acquisita & antequam adeantur, repræsentant personam defuncti, cuius possessio adminiculo est hæredi ad confirmandam præscriptionē, eo quod in illud ipsum possessionis ius successisse videtur.

Secundum Legum Imperialium sanctiones diuersæ à nostris habentur præscriptiones. Sed à nobis nostri Legislatoris placita sequenda sunt.

Possessio.

PEr possessionem acquiruntur & confirmantur dominia rerum, cuius ea vis est. vt ab illa nemo exturbari debeat, nisi iure conuictus. Sp. Sax. Lib: 2. art. 24.

Possessor propior est mettertius ad rei vendicationem & probationem quam quod ab actore conuinci queat, & hoc intelligendum de causis, in quibus nulla scriptura interuenit. Sp. Sax. Lib: 1. art. 15. & lib: 3. art. 4.

Ad ve-

Ad veram poſſeſsionem requiritur bona fides, vt ſcilicet venditorem, vel eum, à quo ius quæſitum nactus eſt emptor, credat eſſe verum Dominum rei ſibi traditæ. Specu. Saxo. Libro 1. articulo 29.

Poſſeſſori non incumbit neceſsitas probandi iuris ſui, ſi actor in probatione defecerit. Sp. Sax. Lib: 3. arti. 4.

Ex trina debitoris contumacia creditor Iudicis autoritate mittendus eſt in bonorum eius poſſeſsionem, reſeruata tamen defenſione legittimi impedimenti. Sp. Sa. Li: 2. art. 24.

Poſſeſſores ſoli ſeu bonorum immobilium ad ſatisfactionem non tenentur niſi tanti quanti ad æſtimationem litis bona non accedunt Spec: Sax: lib: 2. artic: 5.

De variis modis acquirendæ poſſeſsionis conſule art. 44. lib: 2. Spec: Sax.

Magna eſt vtilitas poſſeſsionis. Etenim quando petitoris & poſſeſſoris iura ſunt, vel ambigua, vel obſcura, ſemper pro poſſeſſore iudicatur ff. de reg: iu.

Poſſeſsio non requiritur eorum bonorum, quæ per ſucceſsionem obueniunt. Spec: Sax: lib: 3. art: 83. in gloſa. Nam hæres nititur iure ſuorum anteceſſorum.

Probationes.

PRoprietas bonorum immobilium in locis Actorum monumentis carentibus, probanda eſt ſeptem virorum teſtimoniis eo in loco reſidentium, & fixas ſedes habentium. Iure Mun: art 106.

Soluti debiti probationem debitorem facere oportet, duobus teſtibus ſolutionem videntibus & audientibus, quēadmodum manifeſte requirit textus. art: 6. lib: 2. Spec: Sax.

Et quemadmodum obligationes inſcriptioneſque ex Actis depromptæ, ſimilibus Actorum inſcriptionibus eneruantur, ita etiam teſtium depoſitiones tot contrariis teſtimo-

niis per reum ex iuris præscripto refelluntur, eo quod iura, tutas esse voluerunt reorum causas, quæ talibus probationibus nitantur, qualibus Actores litem instituerint. Et tamen contra hunc receptum iuris ordinem, nunc pessimo exemplo probationes soluti debiti per chirographum obligati, debitoribus vna cum duobus testibus passim admittuntur. Qua licentia eo res rediit, vt hoc tempore nulla scriptura viribus suis consistat, nullum firmitatis pōdus relinquatur chirographis, quibus haud scio, an aliqua efficatior probatio alia inueniri queat. Quid enim facilius perditis hominibus ære alieno obrutis, quam allegare solutionem, & miseri creditoris loculos nequiter defraudare? Rectius multo in eo casu sentire videtur Iustinianus Imp. ff. de reg. iu. Nihil, inquit, tam naturale est, quam eodem genere quodque dissoluere, quo colligatum est: ideoq; verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur. Ex hac iuris regula conspicuum est chirographa non posse testibus sed contraria apocha. quam nos Quittantiam vocamus dissolui. Taceo interim summam iniquitatem, quæ apud Iudicium subsellia creditoribus imponi solet. Conducuntur quodam modo frusto panis ex triuio homines vanissimi, quibus ne per somnium quidem causa vnquam fuit cognita. His conceptis verbis iurant, imo peierant iusiurandum ab illorum principali æditum, esse verum & iustum. Quid hoc est aliud, quam per impietatem illudere religioni, dum alio Actoris querela, alio purgationis verba spectant. Neque vero me quicquam mouet aliquorum negociatorū ea in re sententia, causantium ita fieri oportere, quod plerūque à percepta solutione chirographa detenta relinquantur in creditorum manibus. Sit ita sanè, sed eam oscitantiam suo damno luat quisquis sua negotia, tam negligenter & frigidè curauerit, vt numerans æs alienum chirographis inscriptum

neque

neque autographum, neque quittantiam poscendam esse in animum induxerit, est enim res parui laboris quittantiã scribere, aut scriptam à creditoribus petere. Nobis autem diligenter prospiciendum est, vt contractuum & chirographorum firmitas illabefactata consistat, ne fenestris ad nequitiam apertis, deinceps omnia quæ constituta sunt, vno eodẽque motu concidant, irritaque reddantur & inania. Ego in hac parte ex æquo & bono sententiam meam aperui sequatur interim veterem saliuam quisquis volet, & vtatur suo sẽsu quo abundat.

Ex probationum legitimarum inopia deuenitur ad iuramentum, quod est extraordinariæ probationis subsidium, Spec: Sax: lib: 1. artic: 18. 22.

Probationis terminus est peremptorius, & communiter producendis testibus, datur terminus sex septimanarum. Spec: Sax: lib: 1. artic: 62. Iure Mun: art: 17.

Probatio de iure communi incumbit Actori, ex obseruatione autem iuris nostri, reo quoq; per iuramentum imponitur probatio suæ negationis, quod Legum Imp: professoribus sanè quam absurdum videtur, eo quod per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit. Potest tamen ea negatiua probari, quæ coniunctam habet alicuius, vel loci, vel temporis circumstantiam, vt potè de cæde certo in loco & tempore perpetrata si quis insimulatus fuerit, facile potest suam negatiuam probare, si ostenderit sub tempus commissæ cædis se alio quopiam in loco egisse.

Debita.

DEbitorum atque æris alieni vt sunt variæ actiones ita etiam secundum responsionum varietatem diuersis modis deciduntur. Confitentes debitum ex officio Iudicis seu Prætoris ad soluendum compelluntur, confessi enim pro iu-

dicatis habendi sunt, simpliciter negantes iuramento absol-uuntur. At vbi Actor suam propositionem testibus robora-uit, non potest reus ad negationem confugiens, simplici iu reiurando elabi, sed ad purgandum sese tot testes, seu compurgatores adhibere necesse habet quotquot Actorē pro-duxisse constiterit. Nam exceptione vtens reus quodam modo fit actor, qui autem non inficiatur quidem se debito-rem fuisse, subiungens tamen, se pro eo debito satis fecisse, si assertionem suam duorum virorum testimoniis firmatam, interueniente iureiurando vt antea quoque dictum proba-uerit, Liberabitur ab impetitione Actoris. Iure Mu art. 68.

Hic obseruet Lector regulam generalem, Cum quali cunq; genere probationum Actor litem suam aduersus reū prosequitur, cum talibus vicissim probationibus reus factū negans, potest totam actionem perimere culpamq; diluere, nempe aduersus obligationem ex Actorum monumentis transfusam, opponenda est ex Actis Apocha seu Quittantia, alioqui condemnatur reus. Contra chirographa pari modo requiritur apocha, testes testibus refelluntur, Actoris nulla intercedente scriptura affirmatiua assertio per partis conuē-tæ negatiuam iureiurādo adhibito diluitur. Et sanè non im-merito mirum videri possit lectori curioso, qui fiat, vt in iu-re nostro actore nudis verbis litem prosequente, & nihil omnino probante, tamen reo neganti tam dura legis con-ditio imponitur, vt cogatur negatiuam suam iureiurando ap-probare, & suæ innocentiæ in testem Deum vocare, imo cur non tantum fidei habetur nudis verbis rei, quantum actoris, quum alioqui passim omnes in ore habeamus. Iura ipsa ma-gis patrocinari reis quam actoribus, & alia eius generis quæ sæpè magno cachinno, aduersus iurium nostrorum auctores à nonnullis leguleis exagitari consueuerunt. Sed soluat hūc nodum plane Herculeum qui potest, ego pro ingenij mei

tenuitate

tenuitate quid respondendum sit non habeo. nisi ita placuisse Legislatori. Neque enim omnium quæ à maioribus tradita sunt, ratio reddi potest L. Non ff. de legib.

Debiti confessi & Iudicati, solutio ex officio Iudicis, inter Ciues præsentes decernenda est. primum ad spacium quindene, deinde ad diem octauam, postea ad triduum hinc, ad sollis occasum, postremo durante sessione Iudicum, inter hospites vero ad triduum. Quanquam Leges longiora tempora debitoribus indulgent, & quoties iudicis decreto non fuerit satisfactum, toties debitor illi mulctam succumbit.

In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur ff. de reg. iu.

Contra debitorem in viuis existentem, non tenentur hæredes mortui creditoris debitum probare, vt de quo illi satis compertum esse potest, sed reo ad libellum respondenti incumbit suæ defensionis probatio. Specu. Saxo. lib: 3. artic. 31. in glosa.

Debita verò quæ à successoribus defuncti debitoris repetuntur actorem probare necesse est secundùm naturam mortuæ manus, vt docendi causa, forensi voce vti liceat, hoc est metseptimus eo quod verisimile est, hæredibus non liquere de contractibus ab eorum prædecessoribus initis. Quod si conuenti debitum inficiati fuerint, tot similiter testibus iureiurando interposito, ab actione liberabuntur. Porro de proprio debito inculpatos, aut confiteri, aut negare oportere manifesti iuris est. Hic meminerit Lector mortuam manum vt ad normam linguæ Saxonicæ dicam, esse actionis genus, qua hæredes pro ære alieno conueniuntur, per eos nimirum contracto, in quorum ipsi bona successerunt. Specu: Saxo: lib: 2. art. 31.

Debita ante trigesimum diem à morte debitoris, non sunt ab hæredibus petenda.

Ad solutionem vniuersi æris alieni tenetur, quicumque vel tutorio, vel successionis nomine; inuentario non confecto, sese in bona cuiuspiam ingerendum duxit, qui alioqui nõ esset soluendo astrictus, nisi secundùm vires substantiæ relictæ. Sp. Sax. lib: 1 art. 6.

Debitorum solutio inprimis petenda est ex bonis mobilibus, quibus deficientibus descenditur ad fundos, seu bona immobilia. Ad quem quidem iuris gradum priusquam veniatur, debitorem ex forensi obseruatione prius iusiurandum ædere oportet se carere aliis rebus quibus creditori satisfieri queat, alioqui si nihil neq; mobilium, neq; immobilium bonorum suppetat, nullo etiam existente vadimonio, debitor carceri traditur, corpore luiturus quod ære fuerat soluendum. Spe. Sax. lib: 3. art. 39.

Debito soluendo si non suppetunt nummi recurrendũ est, eo, quo dictum est, modo ad pignora siue sint mobilia, siue immobilia, quibus distrahendis ac vendendis datur spacium sex septimanarum. Spe: Saxo: lib: 1. art. 70.

Debita petitor, illorum causam atq; originem, vrgente reo, tenetur declarare. Spec: Sax. lib: 3. art. 41.

Debitores conuicti qui soluendo non erant, olim creditoribus tradebantur compedibus innectendi: quod quum non solum Legibus, quæ priuatos carceres prohibent, sed etiam rationi aduersaretur, non iniuria deinde à posteritate æquissimis de causis est abrogatum. Sp. Sax. lib 3. art. 39.

Pro debitis per ludum & aleam contractis, non datur actio, nisi forte quispiam post illud tempus de soluendo promiserit, nam tum sublata esse videtur prima causa turpitudinis. Sp. Sax. lib 1. art. 6. Iure Municip. art. 103.

Iusiurandum seu Iuramentum.

IVramentum est remedium Iuris extraordinariũ, ad quod

non nisi

non nisi aliis probationibus deficientibus est recurrendum. Spec: Sax. lib. 1. articulo 18.

Contra Iuramentum non datur alia probatio Specu: Saxo: lib: 1. art: 18.

Periuri & quicumq; aut furto, aut spoliis beneficia iuris amiserunt, per iuramentum se purgare non possunt. Spec: Saxo: lib. 1. articulo 39.

Compurgatores iurant iustum esse iuramentum, ab eorum principali editum. Spe: Saxo: lib: 1. art. 39.

Quæ olim in causis criminalibus duello, nunc septem virorum testimonio deciduntur. Eeodem libro & ti.

De periurio nostro iure non datur actio nam iusiurandi contempta religio, Deum solum habet vltorem L. iusiu C. de reb cre.

Reo non licet post susceptam ab Actore Varandam illi iuramentum deferre. Similiter quoque si actor in sua querimonia causam retulit ad conscientiam rei, non potest ille vicissim iuramentum actori referre, sed cogitur sine diuerticulis ad libellum æditum respondere Spe. Sa. lib: 1. art. 6.

Quæ in animo consistunt, solo iuramento purgantur.

Communis obambulat opinio, Iuramentum calumniæ in iure nostro locum non habere. Sed Scabini Lipsenses rectius multo, nisi fallor, pronunciant, illud si petatur in omni parte litis tam ab actore, quam reo ædi oportere. Habet autem istas potissimum formulas. Primò. quod non calumniandi animo litem moueat. Secundò, quod bonam causam, & iustam defensionem se habere putet. Tertiò, quod in lite nullam exiget probationem, nisi quam existimet esse necessariam. Quartò, quod nullam allegationem causa differendi negotii proponet. Quintò, quod neminem muneribus corrumpet.

Olim variæ erant pro causarum diuersitate iuramento-

rum formulæ, nimirum cum 70. 21. 7. 3. testibus. Sed haud quaquam video in quem vsum aut fructum fuerint excogitatæ, quum testium numerus nihil neque auget, neque confirmat iurantis fidem, eò quòd, cum purgatores, quemadmodum alio loco dictum, non præstant iusiurandum de causa principali, quod alioqui per se satis iniquum esset, pro alieno facto alium iurare. L. Marcell: ff. de actio. rerum amò. Ea absurditas hodie in curijs Ducum Saxoniæ restricta est, & secũdùm Matthæum Cap: 18. In ore duorum aut trium stat omne testimonium.

Iuramentum habet vim iudicati.

Iuramentum est finis omnis controuersiæ Hiero. in Ezech. cap. 16.

Iuramentum definito tempore non præstans, in lite, nisi legittimo impedimento adiutus fuerit, condemnatur. Spec. Sax. lib. 2. articulo 11.

Cautio Fideiussoria.

ADuersus fideiussorem agere non licet, quamdiu principalis conueniri potest, alioqui si absit, petendus est terminus ad illum sistendum. Spe. Sa. lib 1. art. 6.

Fideiussor coniunctæ manus, vt vocant, hoc est, quum multi cauent de soluendo, ad iudicium vocatus, vniuersum ipse debitum numerare cogitur, sed ea lege, si eius socii vel non sunt soluendo, vel conueniri nequeunt, Alioqui si plures conuenti fuerint, tum ex beneficio Diui Adriani actio scinditur in virilem portionem pro sua quisque sorte numeran. Iu: Mu. art. 31. Sed plenius Sp. Sa. lib: 3. art. 85.

Pro debito accusatum & nondum conuictum si qui iudicio sistere promiserit, atque ille interim è vita decedat, non tenetur fideiussor defunctum sistere, sed ab ipsa cautione liberabitur, si modo principalem vita sublatum esse de-

monstrauerit. Spe. Sa. lib: 3. art. 10.

Fideiussor succedit in locum & omnia onera principalis debitoris, ita nimirum vt illi vti liceat omnibus exceptionibus, defensionibusque, quibus ille ad tuendam causam suam vsurus fuerat. Iur. Muni. art. 34. glo.

Minoris est periculi cautionem interponere, in actionibus criminalibus quam ciuilibus. Hic enim fideiussor cogitur omnia principalis onera subire, in suosque humeros recipere. Illic vero numerato humani capitis precio, quod vulgo Vergeldum vocant, fideiussor à tota causa absoluitur, imo vbicumq; intercedit cautio, iam conquiescit rigor actionis pœnalis, neq; fideiussores ipsi, etiam in grauissimis delictis, aliqua corporis pœna plectuntur. Quocirca magistratū quemlibet cautum & oculatum esse decet. ne facinorosi homines per eiusmodi cautiones, scelerum impunitatem consequantur. Sp: Sa. lib: 1. art, 65 Iu. Munic. art. 31.

Qui rem soli possident, hoc est, qui vt vulgato more loquar sunt possessionati, non tenentur in actionibus iniuriarum cauere, aut satis dare. Sp. Sa. lib: 2. art. 5.

Tàm actorem quàm reum oportet fide iubere de prosequenda lite, siquidē res soli non possederit. Eodē lib. & ti.

Antea commemoratum est, prius principalem quam fideiussorem conueniri oportere. Et licet diuersum in plerisq; legibus habeatur, vulgi etiam opinio reclamat, asserentis plus fidei habitum esse fideiussori quam principali, tamen meminerit, lector priores leges esse correctas, & emendatas in Nouellis Iustiniani Col. 4. de fideiussoribus & mandator.

Si non assentiente fideiussore contractum inter creditorem & debitorem mutari contigerit, per eam nouationem tollitur fideiussionis obligatio vinculumq;. Spe: Saxo. lib. 3. artic: 9. Iu. Munic. articulo 117.

Fideiubentes pro ædendo iureiurando, si forte, vt sunt

res humanæ fatorum legibus obnoxiæ, reus ille ante præstitum iuramentum è vita migrarit, tenentur, vel ipse fideiussor, vel principalis hæredes constituta iuramenta explere. Et quoniam res est nõ solum pessimi exempli, sed etiam plena manifesti animarum periculi, quempiam iurare oportere de negotiis sibi incognitis. Ideo in glosa Sp. Sa. lib: 1. art 11. proponuntur certæ formulæ, secundùm quas conceptis verbis sit iurandum: Nempè fideiussor iurabit se certo credere, defunctum nihil illi debere: Hæres verò his verbis, sibi debito nihil constare. In euentu vero si fideiussor, aduersante nimirum & repugnante conscientia, iuramenti seueritatem subire detrectet, in lite condemnatur, ab ipso deinde hærede repetiturus, quanti Iudicum decreto condemnatus fuerit.

Hæreditas. Succeßio.

HÆreditas est illud vniuersale & totum ius quod defuncto, in cuius bona successionis titulo vocamur, vndecumque videtur competere. Spec: Sax: lib: 1. art. 6.

Est certissima iuris regula, Ex maleficiis pœnales actiones in hæredes minime deriuari posse, nisi contra viuentem lis fuerit contestata, & hæres aliquid ex illo delicto possedisse conuincatur. Iusti. de perpe. acti.

Æs alienum à prædecessoribus contractum, hæres ex bonis relictis soluit, si eius debiti ratio illi fuerit secundùm naturam mortuæ manus, de qua antea satis dictum, declarata. Iur. Municip. art. 26.

Ad legittimos hæredes non transmittuntur eorum bona, qui sunt Maiestatis rei, proscripti, negromantici, incantatores, deniq; eorum, qui nesciunt, neque possunt ciuitati suæ administrationis rationem reddere. Iu. Mun. art. 26. in glosa.

Funerum impensa cum primis est ab hæreditate deducenda, & præcedit omne æs alienum. Sp: Sa. lib: 1. art. 6.

Ad hæreditatem pertinent omnia, quæ in bonis morientium relinquuntur, in quibus adeundis æquali iure gaudent masculi cum fœminis, excepta Gerada & armis bellicis, quæ vt antea commemoratum peculiarem quandam habent diuersitatem. Spe: Sa. lib: 1. art. 27.

Hæreditas de Iure Maideburgen. finitur septimo gradu, secundùm leges, decimo. Sp: Sax. lib: 1. articulo 3.

Hæreditas antequam adeatur, repræsentat personam defuncti L. ceptam. ff. de vsuc.

Hæres negans bona accepisse, vnde æs alienum solui posset, conuictus deinde, falso negasse, dupli pœna mulctatur. Specu: Saxo. lib: 1. articulo 6.

Hæres patris promittentis fundum aliquem resignare, non tenetur stare contractui paterno, si forte ille non perfecta resignatione mortem obierit, id eò fit, quòd filius in bonis paternis præfertur externo emptori, tenetur tamen pecuniam, si quam pater acceperit, reddere. Spe: Sax. lib: 1. art. 9.

In partienda hæreditate, seniori hæredi competit diuidendi prouincia, & minori natu eligendi prærogatiua. Spe: Saxon. lib: 3. articulo 29.

In repetenda hæreditate non præscribitur nisi in 31 anno & sex septimanis, excepta Gerada & armis bellicis, quæ post vnius anni & sex septimanarum reuolutum cursum, præscriptionum legibus subiiciuntur. Specu: Saxon: lib: 1. artic: 28. Cæterum redimendorum bonorum naturalis propinquitas, intra anni & diei curriculum extinguitur.

Hæredes emancipati ad diuisionem cum reliquis cohæredibus non admittuntur, nisi prius tantū contulerint quantum constiterit eos antea accepisse. Quia vero in legitimā non computantur quæ pater filio donauerit L. Si quando § generaliter C. de inoffi. Test. Proinde conferre non tenentur quicquid parentes in viuis existentes, liberis suis in armis,

 vestibus,

vestibus, ornatu, & reliqua suppellectili domestica domo dederint. Sp Sa. lib: 1. art. 13. & Iure Muni. art. 57. in glosa.

Hæreditatem Germanicæ glosæ interpres, in plerisque locis impropriè vocat fundum seu bona immobilia, nec minus inepte etiam nude nominat proprium, haud dubie alludens ad Polonismum & vulgatam vocem **dziedzinna**.

Hæredibus non extantibus, maritus & vxor sibi inuicem succedunt, etiam fisco excluso. C. vnde vir. L. 1. & Sp. Sa. lib: 3. art. 80. in glosa.

Hæredes non tenētur seruare pacta locationis, si absq; illorum consensu bona locata, & quasi per indirectum ab illis alienata extiterint. Specu: Sax. lib: 3 art. 77.

Hæredi non competit iniuriarum actio. L. Si cum. ff. Si quis cautionibus.

Tutor, Tutela.

TVtele functiones quemadmodum sunt plenæ periculorum, ita etiam quam latissime patent, quippe quum de nullo alio titulo quam de tutelis, earumq; circumstantiis ipsi Legumlatores iustis de causis fusius tractandū esse censuerūt.

Tutores sunt duplices: Datiui & Naturales. Datiui qui vel Testamento voluntate testatoris, vel per magistratum designantur. Naturales sunt agnati, cognati, mater, auia, sed his omnibus præferuntur testamentarii, etiam si res soli minime possideant, sintq;, vt vocant, impossessionati, tamen satisdare non compelluntur, eò, quòd illorum fides testatoris iudicio videtur esse satis approbata. Spe: Sax. lib: 1 ar: 23.

Si ex linea, vel agnatorum, vel cognatorum plures cōcurrant æquali iure sibi tutellam vendicantes; ad Magistratū loci pertinet ex eorum numero deligere, quemnam pupillorum rationibus magis vtilē fore iudicauerint. Iure Mu ar: 26.

Tutor functionem suam à conscribendo Inuentario au

spicari

ſpicari debet, alioqui aduerſus eos in litem iurari ſolet, qui non confecto Inuentario haud quaquam dubitarunt muneri tutelari gerendo ſeſe ingerere. Quod ſi hoc abſque legittima cauſa prætermittatur, mox tutorem infeſtat alia difficultas, quod tenetur vniuerſum æs alienum perſoluere, etiam ſi non tantæ ſint vires ſubſtantiæ pupillaris. Spec: Sax: lib: 1. art: 6. & lib: 1. artic: 23.

Tutor non tenetur de caſu fortuito ſed duntaxat de dolo & lata culpa. Eſt autem lata culpa nimia negligentia, id eſt, non intelligere quod omnes intelligunt ff. de rerum & verborum ſig.

Tutorum & curatorum officia non tranſeunt ad hæredes. Specu: Saxonum lib: 1. artic: 23.

Tutoribus ſuſpectis & conuictis irrogatur infamia. Spe: Saxonum libro 1. articulo 41.

Neque rationem reddere, neque ſatisdare tenentur tutores, quos manet expectatio ſucceſsionis pupillorum. Speculo Sax: lib: 1. artic: 23. Iure Municip: artic: 26.

Tutori etiam per interpoſitam perſonam non licet emere res pupillares, idq; propter euitandam ſuſpicionem intercedentis doli. Spec: Sax: lib: 1. artic 44.

Tutorem alium vel curatorem poteſt ſubſtituere pupillus, poſteaquam 14. ætatis annum attigerit. Iure Mun: ar: 26.

Tutoribus non licet bona pupillorum vendendo diſtrahere, niſi ſex legittimis cauſis præcedentibus, quæ tamen omnes prius ſunt ob oculos ponendæ & comprobandæ. Illarum prima eſt ſoluendi dotalicii gratia. Secunda, propter pupillorum famem. Tertia, ſi bona à violentis occupatoribus non poſſent defendi. Quarta, propter extremam paupertatem. Quinta, propter damna ex obligationibus aut vſuris prouenien. Sexta, propter neceſsitatem ſoluendorum liquidorum debitorum. Iure Mun: art: 26.

A tutela excusantur minores 25. annis, septuagenarii, parentes numerosæ sobolis, ægroti, pauperes, publicis officiis destinati, deniq; & hi, quibus cum parente pupillorum inimicitiæ intercesserint. Iure Munic art: 25.

Tutorum officium finem accipit constitutis curatoribus, ad quorum fidem omnia deinde pupillaria negocia pertinere dinoscuntur. L. à tuto. ff de admi: & peri tu.

In confesso est tutelarem functionem esse modis omnibus periculosissimam, quod etiam satis innuit ex lib: ff. titulus de adminis: & periculo tutorum, à quibus ex bona fide talis in administrando diligentia, requiritur, qualem paterfamilias rebus suis præstare debet: Leges etiam dictant peccunias pupillares intra sex primos menses in vsuras collocandas esse, & plenius hunc locum tractat Iustinianus in Nouel: Coll 72 vnde lector reliqua petet.

Deniq; alia eius generis intollerabilia onera augendis pupillorum bonis, in tutorum humeros reclinantur: quibus accedit id, quod est omnium non solum grauissimum, sed etiam indignissimum, quod tutor non pupilli, ad quem redire debet vtilitas, sed suo ipsius periculo peccuniam expendit. Iam si ista æqua lancea accuratius æstimentur, nempe pupilli rem familiarem ex iuris præscripto augendam esse, ad illum emolumenta, ad tutorem vero non nisi pericula redire debere. Quem quæso cordatum virum hæc, & alia his atrociora, à subeundo tutelari munere merito non deterreāt? & tamen Reipub: interest pupillos non esse destituendos. Damnatur legibus leonina societas, quòd inæqualis sit lucri, & damnorum communicatio, certe eiusmodi tutelæ non multum à tali societate differunt. Quoniam verò non nisi in casibus, qui in iure nostro desiderantur ad LL. Imperiales recurrendum est. Proinde neglecta ista legum seueritate, in præsenti casu peccuniarum pupillarium, standum esse cen-

so glo

ſeo gloſæ Iuris Munic: art: 26. hoc ipſum negotium liquido complecten. Et haud quaquam ſcio quibus de cauſis iſte articulus per optimum & doctiſsimũ virum Nicolaum Iasky er interpretem in Cracouien. exemplaribus ſit prætermiſſus. Habetur autem in Germanicis archetypis ſecundùm iuſtam interpretationem in hæc verba. Sciendum quod bona pupillorum, neq, aliquid lucri parare, neq; damni quidpiam ſuſtinere proſunt, propterea quod illa tutor ſuo proprio, & non pupilli periculo expendit, quippe qui tenetur ab anno in annum de pupilli bonis rationem reddere, & ſummam capitalem ſaluam conſeruare, niſi forte illa abſq; eius culpa negligentiaq́; perierit, de quo per iuramentum vnica manu ſe purgare cogitur pupillis adultis & nemini alteri &c. Quin etiam apud equeſtrem ordinem atque in ipſa vrbe Cracouien: iſta hactenus extitit obſeruatio, quod tutores loco certo intactam relinquentes pecuniam pupillarem, præter ſortem nihil vnquam coacti ſunt pendere. Diuerſa autem eſt ratio eorum, qui acceptam pecuniam in ſuos, aut aliorum vſus collocandam putant, à quibus ad arbitrium boni viri, iure optimo vſura eſt exigenda.

Tutoribus teſtamentariis & naturalibus deficientibus, mater & auia ad tutellæ functionem reliquis omnibus mulieribus excluſis, vocantur, prout habetur in nouell. de hære: ab inteſtato veni. Coll. 118. Mulieribus, inquit Imperator, & nos tutellæ munera ſubire interdicimus, niſi mater aut auia ſit. Nam his ſolis, pro ſucceſſionis hæreditariæ ordine tutellam ſubire permittimus, ſi apud acta tam ſecundis nuptiis, quam Velleiani Senatus conſulti auxilio renuntiauerint, ſolis teſtamentariis tutoribus eas anteuertentibus. Sp. S. lib: 1 art. 11.

Ad matrem pertinet, intra annum ſuis liberis tutores petere, adeò vt niſi id fecerit, ab impuberum morientium ſucceſsione repellitur. Iuſti ad Senatus con. Tert.

Tutore rem immobilem pupilli sine causa alienante, potest pupillus intra annum & diem post completum annum xiiij. per vendicationem illam repetere: Alioqui illis elapsis, opus esset petere restitutionem in integrum, de qua nihil omnino habetur in iure Saxonico, sed illius loco vtendum est iure communi.

Contra tutorem vel suspectum, vel male administrationis reum, actionem intendere potest, mater, auia, amitta pupilli, vel alia quælibet mulier, quæ ex bona fide id factura videatur. Specu: Saxon: lib. 1. art. 41.

Tutores sæpènumero authoritate iudicis dantur mulieribus ad actiones prosequendas, sed cessante iudicio, illorumq; tutela perire solet. Sp: Sa. lib: 1. art. 46.

Hoc in loco non possum non vehementer damnare morem nostrorum Iudiciorum, in quibus, mulieres maritis carentes aut puellæ adultæ, alienandis bonis immobilibus citra delectum sibi asciscunt tutorem quempiam ex triuio aut ganeis, hominem externum, ignotum, & nullo cognationis vinculo ipsi coniunctum, qui fictitio illo tutorio nomine vendentis & alienantis verba proloquitur, quod hic intercedant doli? quod præstigiæ? quod captionum reticula mulierum fragilitati intendantur, quotidiana exempla declarant: & tamen hæc rata habentur propter vsu receptam consuetudinem, quæ hominum oculis tenebras offundit. Quanto rectius & prudentius constitutum est in iure ordinis equestris, quod terrestre vocant, vt mulier fundum alienatura, cogatur sibi adiungere amicum propinquum ex linea paterna aut materna, cuius autoritate, & consilio omnia gerantur. alioqui irrita est omnis alienatio. Hæc domestica propemodum exempla deberent nos ad rectiora consilia sectãda, imitandaq; protrahere, neq; enim ab re esse videretur, vt in venditionibus, obligationibus, & aliis grauioribus causis

fœminarum lateribus semper adessent consanguinei, aut amici graues quorum consiliis illæ sustentarentur. Sed nescio qui fit, vt difficillime relinquantur, quæ vsu sunt inueterata.

Sine marito, vt potè legittimo tutore, conueniri quidem vxor non potest, sed ad illum sistendum, si forte peregre abiit, xiiij. dierum spaciū conceditur. Sp: Sa: li: 1. ar: 46.

Contra suspectos tutores, institutæ actiones nullam dilationem patiuntur.

Reliqua de tutelis cognitu necessaria, quorum immensum est pelagus, infiniti esset laboris in hoc Epitome redigere: Quare satius est, vt lectores hæc & alia ex limpidissimis fontibus quam è turbidis lacunis petant.

Emptio, Venditio.

VEnditionem bonorum nulla neq; traditione, neq; præscriptione confirmatam, hæredes venditoris non tenētur ratam habere, eò, quòd illi restitutis pecuniis, extraneo, vt antea quoq; dictum, præferuntur ēptori. Sp: Sa: li: 1. ar: 9.

Venditor regulariter de euictione tenetur, non solum quod res à vero domino sit empta, sed etiam de viciis latentibus rei venditæ. Si vero in rem venditam & traditam committatur iniuria aut violentia, quia nihil interest venditoris, non tenetur de euictione. Iure Municip: art: 99. Speculo Saxonum libro 3. articulo 4.

Euincere per vocem Saxonicam quasi latinitate donatam vocant Varandare, & euictor Varandator.

Euictiones cessant in actionibus rerum vēditarum, quæ à traditione, per interuenientem præscriptionem robur firmitatis obtinuerunt. Spec: Sax: lib: 1. artic. 9.

Rem venditam tenetur venditor euincere, contra præsentes, anno & die. Contra absentes 31. annū & sex septimanas. Sed quoniam de præscriptionibus sunt diuersæ Iuris

consultorum sententiæ ex quibus etiam nata est varietas de constitutis temporibus euincendi. Otto itaque Imperator, vt habet glosa Spe: Sax: lib. 3 art: 83. diluere volens eam ambiguitatem censuit, venditores fundi & bonorum immobilium teneri emptores euincere. quoad illi vixerint, subiungens hanc causam; quod fundus, sine consensu hæredum, non possit alienari, secundum artic: 52. lib: 1. Spe: Sax.

Hæc tamen argumenta plerisq; videntur esse frigida & neruis carentia; eò quod memoratus articulus 52. est per sedem Apostolicam reprobatus.

Ad emptorem post traditam sibi mercē pertinet omne periculum rei venditæ. Idem sentiendum de fundi emptoribus, qui vt primum emptori, per resignationem, vt forensi vocabulo vtar, traditus fuerit, eodem temporis momento omnes casus fortuiti in emptorem recidunt. Iure Municip: artic: 140. L. Cum C. de con. & peri rei ven.

Traditionis varij sunt modi, vt si mihi dederis claues cellæ vinariæ, aut horrei, videtur mihi data possessio vini & frumenti, quod in illis continetur. Pari modo si negociator mercibus emptis signum suum adiecerit, veram nanciscitur possessionem & traditionem. Spec: Sax: lib: 2. art: 44.

Si vēditione peracta & traditione non subsequuta, quæ est fundamentum venditionis casu fortuito res vendita perierit, ad venditorem pertinere censetur vniuersum periculū. Emptori nihilominus datam quoque arram, perdere cogitur. L. Cum C. de pericu. & commodo rei ven.

Imaginaria & vmbratilis est venditio precio non accedente, sine quo, nulla emptio esse potest. Iusti de emp. & vē.

Bona immobilia.

FVndum immobilem interpres glosæ Germanicæ subinde per nudam vocem adiectiuā appellat proprium, quasi

rerum

rerum proprietas duntaxat in fundo consistat, & non item in cæteris mobilibus, sed sequutus est in hac parte vocem Germanicam Eigen, quam aptius vertisset proprietatem, quam proprium.

Veteres illi Saxones, qui nobiles hæc iurium fragmenta reliquerunt, nihil æque maiore studio prospiciebant, quā vt iura naturalis successionis sarta tectaque permanerent (vt prouerbio dicitur) æditis etiamnum constitutionibus, cauentes, ne bona immobilia vel per testamenti factionem, vel aliis obliquis modis à veris hæredibus alienarentur. Hinc illud est, vulgo etiam iactatum: Neminem posse in lecto ægritudinis plus tribus solidis cuipiam conferre. Inde etiam natæ sunt illæ iurium solennitates quæ faciendis resignationibus adhibentur, vt pote qua ætate, quibus viribus alienator esse debeat. Et enim à viro equestris ordinis requiritur ita corpore vt vlaeat, quo possit gladio præcinctus, & clipeum collo gestans, è trunco seu lapide à terra cubitum vnum extante suis ipse viribus, nemine adiuuante, equum cō scendere, qui tamen illi est vna cum strepa, vt vocant tenendus. A ciue vero exposcitur tanta corporis firmitas, vt nulla aliena ope adiutus, ipse queat sese Iudicio sistere. Quin & coloni ac rusticanæ mulieres tenentur virium suarum robur depromere: quemadmodum hæc & alia copiosius tractat glossa Iure Munic: artic: 20. Huc addendum est, quod ex iuris præscripto & recepto more, eiusmodi fundorum resignationes, per interuenientem traditionem, haud quaquam fieri possunt, nisi in legitimis & ordinariis Iudiciis, quæ nescio cur in foro nostro vocentur bannita exposita, errore tracto ex malè versa voce Germanica, cuius sensus potius erat explicandus, quam verbum verbo frigide reddendum. Quæ omnia supra commemorata, eo tendunt, vt obliquæ & fraudulentæ bonorum alienationes, à iudicum tribunalibus procul eliminarentur.

 Porro,

Poro, quod bona immobilia non nisi in ordinariis, quæ exposita vocantur, iudiciis valeant alienari, probabilem sane causam habet, sed rursus hoc est manifestæ iniquitatis, & sine vllo iuris fundamento introductum, quod lites & controuersiæ de fundis & bonis immobilibus simili ratione, duntaxat in eisdem ordinariis Iudiciis deciduntur, ita fit, vt violenti possessores hoc præsidio freti, possint litem multis seculis proferre, & planè immortalem efficere, quod nihil est neque iniustius, neq; detestabilius. Nam iuris dicendi functio; quæ immortalis Dei vicem repræsentat, omnibus omni tempore debet esse aperta & obuia, neq; omninò quidquam refert, quo in iudicio, sed qua æquitate lites finiantur, faceret ea res mirum in modum ad conciliandam inter Ciues concordiam, quæ animis exulceratis, & licium euentu sub Iudicibus pendente, nequit cōsistere. Alioqui si interea tēporis, vt sunt res humanæ multis periculis obnoxiæ, vel ædium ruinæ; vel alii fortuiti casus interuenirent, quis posset istam inutilem & diuturnam moram æquo animo ferre.

In articulo 52. lib: 1. Spe. Sax. prohibetur fundi alienatio, sine consensu hæredum. Rursus artic: 29. Iure Mun: permittit eius fundi alienationem, quem quis proprio ære cōparauerit. Præterea glosa art: 52. lib: 1. Spec: Sax: (quæ in Cracouien: exemplari est prætermissa) hanc facit bonorum immobilium distinctionem. Sciendum, inquit, duplicia esse bona immobilia, ex quorum numero quædam sunt prouenientia, ex successione lineæ descendentis & ascendentis, atque illa citra necessitatem cogentē, & hæredum assensum, non posse alienari. Quædam vero proueniunt ex successione collaterali, & illa etiam dissentiētibus hæredibus posse alienari, explorati iuris est. Per hæredes autē, intellige suos hæredes, in linea descendēti aut ascendēti consistētes; ergo sine cōsēsu fratris valet alienatio. Postremo imperator Fridericus

de Stof-

de Stoffen apror iuris feudalis Saxonici in glosa art: 55. post longam disputationem concludit bona immobilia, etiam ex successione conquisita posse, irrequisitis hæredibus impignorari, in cautionem locari &c. Ista legum duricies, licet quodam modo à quotidiano vsu iam recesserit, sitq; maximè propter Eleemosinas à Concilio Basilien. reprobata, tamen grauissimos sæpè dubitationum scrupulos consueuit in animis hominum relinquere. Cæterum in LL. Imperialibus variæ sunt opiniones, de parentibus ad morientium puerorum successionem vocatis, quarum pleræq; illis plenum proprietatis ius indulgent. Nonnullæ eis duntaxat vsu fructū relinquunt, præsertim si ad secundas nuptias conuolauerint Ego autem tota causa in vtramq; partem diligenter examinata, ex iuris nostri obseruatione, simplicissime censeo, liberam omnibus esse debere facultatem alienandi bona, vel per successionem conquisita. Id nisi liceret, nulla esse possit vera successio hæreditaria, sed duntaxat nudus ille vsus fructus ad successores dimanaret, quo quid posit esse inhumanius, & à iure communi alienius? Excluderentur à puerorum suorum succesione piisimi parentes, ad quos præter nudum vsusfructum, rediret nihil: quum tamen illis satis nō sit, in educandis liberis innumeras curas & molestias subire, sed etiam omnium quæ posident, bonorum succesionem, nulla vsusfruendi conditione astrictam, sed ab omni parte liberam ad pueros transmittere. Cur ergo non eadem ratione liberorum bona adeant parentes, quibus, nulla satis digna gratia referri quæat? imo quum æquabilitas sit affinis Iusticiæ, cur durior esse debeat progenitorum succedentium conditio quam liberorum? Hæc expendant Iudices & æquitatem, quæ legum est amica, pro virili sua tueantur. Bona immobilia vxoris non potest, illa dissentiente maritus distrahere. Constante autem matrimonio, adque adeo pro-

pter eius onera palam est illorum vsusfructum ad maritum pertinere.

De conducto & Locato.

Circa locationes & conductiones, maximè fides contractus seruanda est. L. Circa. ff. de locati, & con.

Locatio & conductio habent quandam affinitatem cum emptione & venditione, nisi quod hæc perpetuitatem spectant, illa verò certo tempore astringuntur. Libro 2. art. 59. Spec: Saxo. in glosa.

Glosa art. 59. lib. 2. Spe. Sax. astruit homines equestris ordinis non debere esse conductores bonorum, ne dum dominum fundi pro hero agnoscunt, suam interim perdant dignitatem.

Locationem potest rescindere dominus. si ipsemet vel ad inhabitandum bonis indigeat, vel ea reficere velit, tum etiam si conductor pensionem soluere detrectet, bonorum conditionem deteriorem reddiderit, aut inhoneste vixerit. Lib: 2. art: 59.

Locationis pacta à parentibus constituta, non tenentur illis è vita sublatis, hæredes seruare, eò, quòd sapiunt quandam temporalem hæredum alienationem & exclusionem, quæ de iure non admittitur. Spe: Sa. Lib: 3. art. 77.

Vniuersa conductoris substantia in fundum domini illata, transit in pignus locatori, ratione census ex conducto numerandi, Lib: 2. art. 59. & L. item quia Conuentiones ff. de pactis.

Inter locatorem & conductorem si de census solutione controuersia emergat, propior est locator iureiurādo astruere sibi censum non esse numeratum, quam quod conductor negando illum possit conuincere. Iure Munic. art. 140.

Domino fundi, irrequisita etiam Iudicis ordinarii au

thoritate, licet conductorem suum ob censum non dissolutum pignorare. Iur. Municip. articulo 140.

Qui fundum fruendum vel habitationem alicui locauit, si aliqua ex causa fundum vel ædes vendat, curare debet, vt apud emptorem quoque eadem pactione & colono frui & inquilino habitare liceat, alioqui prohibitus, is aget cum eo ex conducto. L. Si merces ff. de loca. & cond.

Operæ Ministrorum, salaria.

EX hæreditate, post deductam funeris impensam, ante omnia numeranda sunt ministrorum precia, ne illis retentis vociferentur in cœlum, quin etiam à morte heri ad xxx. vsque diem victus illis est subministrãdus. Sp: Sa lib: 1. art 22.

Hærede postulante, coguntur ministri tantum temporis seruiendo explere, quantum cum defuncto hero pactos esse constiterit. Eodem libro & articulo.

Vbi inter herum vita functum, & ministrum nullum de salario pactum interuenit, explorati iuris est, famulum apud hæredes gratiam quærere oportere. Eodem lib: & art.

Famulis, si pro vno aut dimidiato anno precium negetur ab hæredibus, probatio per iuramentum ministris aduersus hæredes permittitur. At si agatur pro mercede non vnius sed plurium annorum, probatio solutæ mercedis ab hærede metseptimo requiritur, quod sanè nimis durum videtur. Eodem lib: & art.

Quod si res est inter famulum & herum in viuis existentem, probatio numeratæ mercedis hero mettertio potius cedit, quam ministro. Iur. Munic. art 80. in glosa.

Famulus absq; legittima causa ab hero fugiens, tenetur ad solutionem eius precii, de quo inter eos conuentum extitit, & si quid antea illi numeratum fuerit, in duplo reddet. Extant tamen duæ causæ perscriptæ in textu lib: 2. art. 26.

propter

propter quas liceat famulo herum suum relinquere, vt potè si vel matrimonium contraxerit, vel si ei pupillorum tutela incumbat. Et sanè istæ causæ sunt probabiles, & magna ratione introductæ. Nam prior illa tuetur dignitatem matrimonii, quod apud omnes nationes semper fuit sacrosanctũ. Altera pertinet ad conseruandum Reipub. statum, cuius maximè interest, ne pupilli destituantur tutorum præsidio.

Domini de facto serui tanti tenentur, quanti eius merces sese extenderit, nisi forte illud mandauerit, aut ratum habuerit. Iure Municip. articulo 80.

Cæterum dominus tenetur de facto eius famuli, quem rebus gerendis & negociationibus exercendis, dato mandato, præposuit. Et eius generis ministri proprie institores vocantur. Nam qui cum seruo contrahit, fidem domini sequi videtur § Si igitur, Insti. Qui cum eo, Sed omnium maximè Heri tenentur, si ex rebus emptis ac venditis aliquid emolumenti ad eos redierit, & in rem eorum versum esse constiterit.

Annorum ratio.

Anni discretionis ex præscripto LL. Imperialium computantur anno ætatis 25. & secundùm Iura Saxonica anno 21. Anni pubertatis complentur anno 13.

Interpres glosæ Germanicè art. 23. lib. 1. recensens ætatum discrimina, commemorat pueros egressos annum 18. posse proprium alienare, hoc est, vt ille intelligit, bona immobilia. Sed hallucinatus est bonus ille vir. Nam ea glosa Germanica, nihil omninò meminit bonorum aut fundorũ, sed innuit, pueros eius ætatis posse alienare, proprios homines & mancipia, quod etiam clarius liquet ex allegationibus, confirmandæ huius opinionis causa, ibidem in medium adductis. Insti. Ex quibus cau. Manumitt.

Reprobantur à pleriſq; illæ recens ad nos introductæ iurium fictiones & ſubtilitates, quibus fit, vt Principum autoritate ſubinde minorennibus adijciantur anni, quos nondum attigerunt. Qua de re potiſſimum proſcinduntur leguléi, quod Imperatorum poteſtatem latiſſimè patere voluerint. Notiſſima enim ſunt illa, quod principi placet, legis habet vigorem & alia eius generis non pauca: Quemadmodum, vt nunc ſunt omnia calumniantium morſibus obnoxia, à noſtri quoq; ſeculi Theologis laceſſantur Canoniſtæ, quod Romano Pontifici ſummum imperium, tam in cœlis, & in terris, quam etiã apud inferos & Plutonis Regna, tribuerint. Sed non deſunt vtriuſque Iuris profeſſoribus ſuæ defenſiones, de quibus nihil attinet hic dicere. Hoc duntaxat præterire nolui, quæ à clariſſimis Imperatoribus de hoc caſu in iure Ciuili ſancita ſunt, ſummam complecti æquitatem. Etenim in L. omnes C. de his qui æta ve. imp. præſcriptum eſt. Adoleſcentes tum poſſe ætatis veniam impetrare, poſteaquam viceſſimi anni metas impleuerint, & in L. ſequenti prohibetur; quo minus hoc beneficio freti, alienationem aut hypotecam rerum immobilium faciant. Equidem ſi ad hunc finem, ex legitima cognitione, non infantibus, neq; bonorum alienatoribus. ætatis venia indulgeatur, non video quid detrimenti minorennibus ſit acceſſurum, ſed non libet altius hanc quæſtionem ingredi: non enim meum eſt de Principum placitis quidquam diſerere, ſed illa potius reuerenter ſuſpicere.

Sequeſtratio Arreſtatio.

SEqueſtratio & Arreſtatio nomine tantum differunt, illa à Latinis autoribus eſt vſurpata: Hæc vero barbarico ſeculo nata eſſe videtur.

Eſt autem Sequeſtratio ſeu Arreſtatio, interdictum Iu-

dicis competentis, ne res litigiosa vel loco moueatur, vel de ea quidquam statuatur ad litis vsque decisionem.

Extat L. vnica C. de prohibita Sequestratione, cò,quod non à sequestrando, sed conueniendo debitore lis est auspicanda.

Inuentum est tamen extraordinarium hoc iuris remedium, quo vt licet non solum aduersus profugos debitores, sed etiam in res eorum, si quo in loco compertæ fuerint.

Porro in prosequendis arrestorum actionibus, multa à iuris fundamento procul remota passim fieri videmus. Nam inprimis hoc absurdum est, quod allegatur arrestationibus vim euanescere, nisi singulis iudiciis per terminorum astitionem continuetur. Vnde quæso nata est hæc lex? quo authore promulgata? quum (excepta arrestatione æqui) nihil ferre aut admodum parum in voluminibus Iuris Mardeburgeñ. de isto arrestationum genere sit præscriptum. Oportet, inquiunt, astare primum secundum & alia iudicia, nisi robur arrestationis perire vellis. Inepto processui inuenta sunt inepta vocabula, quid enim significat adstare iudicia? Multo autem æquius est, & ad tuendam Iudicis ordinarii autoritatem cumprimis vtile, vt arrestationes, quæ adhibitis precibus, legittimo iuris ordine fiunt, debitæ firmitatis robur tantisper obtineant, prout merito obtinere debent, donec post litem decisam, rursus edicto Iudicis relaxentur (quemadmodum cum sequestri rationibus apud aliorum iudicum tribunalia obseruatur) Quam ad rem, nihil opus esse iudicamus ista terminorum, quam vocant astitione. Interim tamen liberum est, prout esse debet, tamen creditori arrestanti, seruato per citationem legittimo iuris ordine, agere vel in personam, vel res arresto subiectas quam etiam debitori, quandocunq; volet, res suas ab arresti vinculis relaxare. Quibus omnibus rite peragendis, nihil omnino obstabit, etiamsi

nullæ

nullæ interueniant astitiones, quæ nullum omnino fructum, multum autem dispendij litigantibus immodico sumptu exhaustis, consueuerunt adferre. Hoc loco haud probabilis iudiciorum obseruatio seu corruptela potius, minime etiam est silentio prætereunda. Nam arrestatores, vbi astiterint (vtendum est enim istius fori, etiamsi barbaris vocibus) primū & secundum iudicia, tum is cuius bona arrestis sunt impedita, per citationem vocatur ad tertium iudicium, seu pro admittendo tertio iudicio, ista enim loquendi formula vtuntur quam neque Seruius Sulpicius, Papinianus, neque Vlpianus, neq; alii quantumuis doctissimi Iureconsulti, si viuerent, essent intellectui: adeò, absurdis vocabulis & obseruationibus referta sunt Iudicum subsellia. Ego ipse, vt mei ingenii simplicitatem prodam, nulla coniectura satis assequi possum, quid hoc sit tertium iudicium admittere, nisi forte annuere, vt arrestanti tanquam ex tertia contumacia permittatur earum rerum possessio, quas quis arresto duxerit subijciendas. Porro citatus, si sese non sistit, mox condemnatur in eisdem rebus, quæ erant arresto implicatæ. Quis quæso non detestetur istum immaturum & præproreum iudiciorū progressum, per quem in primo citationis termino rei condemnantur, quod ex præscripto Iuris Maideburgeñ. nisi tribus citationibus præcedentibus fieri non potest. At inquiunt, non primum sed tertium esse eo loco terminum, & duos asticionum terminos præcessisse. Sed memineris bone vir, ad primos illos duos terminos, non vocatum esse debitorem, atq; omnia, quæ, eo absente & nullum terminum habente, gesta sunt, pro infectis haberi, illumq; nulla ex parte neq; obligare, neq; obstringere posse. Etenim Iura nostra non permittunt, vt quod alias fieri solet, vno edicto vtamur pro pluribus: Vtinam hi errores, ab his quorum interest, aliquando emendentur. Nam memoria teneo, per talem ini-

quum processum, haud contemnendas facultates bonis viris ereptas esse. Sequantur qui volent, per vulgi stulticiam introductas consuetudines, iuri communi plane ex diametro repugnantes. Ego ex clarissimis iurium fundamentis, dico & assero, neminem ex vna contumacia posse condemnari, nisi præmissis tribus citationibus, si reus suam inobedientiam, legittimo impedimento non purgauerit. Nam ex iuris necessitate requiritur eam inobedientiam esse oportere luce meridiana clariorem, propter quam, quis litis damno dispendioq; sit plectendus. Aduersus profugos debitores, eadem etiam seruanda est iuris ratio, si forte illorum bona arrestationum vinculis innecterentur. Et licet sui conueniendi copiam non exhibeant, nihilominus tribus edictis, publicè in tribus populosioribus Ciuitatibus, in quibus celebriora sunt emporia, affixis, ter sunt citandi alioqui reus, neq; personali, neq; reali actione condemnari poterit. Porro de ista iudiciorum astitione tanquam re maximè necessaria, Craco-uienses habent peculiaria sua plebiscita, quibus per me nihil neque detractum, neque derogatum esse volo.

Sententia.

SEntentia à Iudice ieiuno & sedente pronuntianda est. Sp. Saxo: lib: 2. art. 12 & lib: 3. articulo 69.

Sententia suas mox vires acquirit, quæ per appellationem in instanti, secundùm obseruationem Iuris Maideburgeñ. non suspenditur. Quanquam ex beneficio Legum, licet in decem diebus à prolatione sententiæ appellationem interponere. Specu: Saxo: lib: 2. art: 6.

Rescindendæ sententiæ multæ sunt causæ, vt potè si nō à competenti Iudice sit lata, si non sit conformis libello, si non contineat vel condemnationem, vel absolutionem. Denique si absentibus partibus, ad iudiciumq; non vocatis,

& ſine certa quantitate, ſi in feriis, & non in loco iudiciorū conſueto fuerit pronuntiata. L. præſes. C. de ſen. & interlocu. & L. Si feriatis ff. de feriis.

Sententiæ legittimo iuris ordine prolatæ, etiam Principum reſcriptis non poſſunt reſcindi. L. Reſcrip. C. de precib. Imperato. & §. Omnis, Autem. de Iudicib.

Sententiæ arbitrorum ritè delectorum, appellationem non recipiunt. Sibiipſi enim imputet, qui alicuius Iudicis Decreto ſtandum eſſe putauerit. Sp. Sa. lib: 1. art. 55.

Authores & Iudices quantumuis iniuſtæ ſententiæ, ſi modo eam pro ingenio & conſcientia ſua pronuntiarint, nihil detrimenti inde capiunt, niſi dolus interceſſerit. Sp. Sax. libro 2. articulo 12.

Neque ad omnes litigantium quæſtiones ſententiam ferre conuenit, neq; ſecunda ſententia eſt ferenda, niſi prior ſortita fuerit legittimum exequutionis effectum, Spec: Sax. libro 2. articulo 18.

Sententia ex ſcripto pronuntianda eſt, vt Lib: 2, 3. C. de ſen. ex bre. recitañ.

Diſceptatum eſt ſæpius, huc atq; illuc nutantibus diuerſis hominum ſententiis, an Iudex ſecundùm ſuam ipſius noticiam, an ſecundum litigatorum allegationes probationeſq; debeat decernere nec ne? Et quamuis pleriq; ſentiant Iudicem propriam noticiam & ſcientiam potius, quam aliorum fortaſis vanam, & dubiam aſſertionem ſequi oportere, ne videatur exemplum Pilati imitari, qui ſciens prudenſq; falſo iudicauit, teſtante ſcriptura ſacra: Sciebat enim quia Iudæi propter inuidiam Dominum Ieſum tradidiſſent. Sed tamen probabilior eſt fortaſis aliorum opinio, multarum academiarum calculis approbata, quæ cenſet, Iudicem potiſſimum in iudicando ſpectare debere partium allegationes probationeſq;. Nam Iudex tum ſuſcipit perſonam publicam, cui de

 priuatis

priuatis cauſis non competit quidquam ſcire, quam quod probationibus fuerit demonſtratum, imo fieri poſſit, vt Iudex toto cælo erraret, credens ſibi rem maximè perſpectam eſſe atque ita pernicioſo Iudicis errore, multum damni litigantibus eſſet acceſſurum. Poteſt tamen cordatus Iudex atque æquitatis ſtudioſus explorandæ veritatis gratia diem diffundere, & negotij cognitionē in aliud tempus, ſi aliquis eius generis dubitationum ſcrupulus inciderit reiicere, præſertim ſi de capite hominis agitur, pro quo mortuus eſt Chriſtus.

Proſcriptio homicidarum.

QVemadmodum in multis aliis caſibus ita etiam in perſequenda proſcriptione homicidarum multa conſuetudo perperam inuexit, quæ ab omni Iuris ordine ſunt aliena: Hinc eſt, quod in hominum memoria nulla vnquam proſcriptio debitum effectum conſequuta fuiſſe videtur, neque de aliquo homicida proſcriptionum terribili fulmine condemnato vnquam ſumptum eſt ſupplicium. Neq; ſatis ſcio, in quem vſum ſoleat exerceri, niſi forte ad ſimplices & rudes homines inani metu terrefaciendos. Nam quum in actionibus ciuilibus ad condemnandum ex contumacia reum, tres citationes requirantur, quibus accedit adhuc quartus citationis terminus demonſtrandi legittimi impedimenti cauſa reſeruatus. Quis non merito abolendum exiſtimet vulgatum Iudiciorū morem, quo ad nudam vociferationem preconis contra abſentem reum æditam exhibito duntaxat cadauere occiſi hominis, plerumque innoxii, criminaliter proſcribuntur? Quam ego ſane proſcriptionem, non ſolum inquam, ſed etiam prorſus viribus carentem eſſe iudico propterea quod in ter citando reo, ſolennia Iuris prætermiſſa eſſe videntur Textus eſt clariſſ. Spec: Sax: lib: 1. art: 67. Qui tribus, inquit, edictis cittatus non comparuerit, proſcribe-

tur, pro nulla tamen alia cauſa, niſi quæ mortem vel membri amiſſionem inferat, proſcribi poterit, &c. Quin etiam gloſa lib: 3. art: 17. in proſcribendo requirit citationem: Quę omia confirmantur quoq; per textum lib. 2. art: 4. in quo à proſcriptionum vinculis ſeſe liberaturo, ea lex imponitur, vt cogatur fideiuſſores dare de ſiſtendo & purgando ſeſe in tribus iudiciis, eo quod eiſdem rationibus quidq; diſſoluitur, quibus eſt colligatum: Inde conſequitur inanem eſſe proſcriptionem ex vno duntaxat, imo nullo termino profectam ac deſcendentem. Hinc eſt, vt externa quoque exempla adiitiam. Quod in Conuentu Imperiali Vormacień. Anno M DXXI. haud improba ratione per Carolum V. Rom. Imp. conſtitutum eſt, ſine legittimis citationibus nullam omnino proſcriptionem valere. Cæterum ſi reus profugus ſit, aut dellitescat, quo minus vel citari, vel contra eum iure agi poſſit, tamen ſine citationibus ſeu publicis edictis nihil eſt neque tentandum neque de hominis vita quidquam temere ſtatuendum aut pronuntiandum, adeò vt ex ſententia peritiſſimorum quorumq; iure conſultorum, qui hæc literarum monumentis prodiderunt, ter citandi ſunt rei, ſemper interuallo xiiij. dierum termino aſſignato, quarta deniq; citatio addenda eſt legittimi impedimenti cauſa. Quod ſi, vt commemoratum eſt, reus abſens in ius vocari non poſſit, tamen quælibet citatio ad ædes illius, ſi quas eo in loco, vel proprias, vel ex conducto obtinet, eſt mittenda, & alia eiſdē verbis citatio ſeu edictum potius, locis publicis, vt pote templis celebrioribus, vel Iudicum tribunalibus eſt affigenda. Quæ ſingula, ſi hoc ordine rite gerantur, non erit via prætexendę ignorantiæ, maximè ſi ex probationibus conſtiterit noxium illum hominem, die ipſo perpetrati facinoris, eo in loco fuiſſe Quin etiam ſi forte profugus in aliena ditione agat, nihiloſecius pro iuris ſubſidio ad eius loci iudicem mit-

tenda eſt

tenda eſt cittatio, per quam reus in ius competens, vbi cædes commiſſa, ad eum quem dixi modum, vocetur. Si quidem in illo condemnando, ſibi quiſpiam iure agendum putauerit. Sunt qui ſcribant hunc errorem, de reo non citato proſcribendo, dimanaſſe ex male intellecto textu. Spe: Sax: lib: 1. art: 66. qui indicat in recenti crimine, (quod manuele factum vocant) compræhenſum, vt iudicio præſentatum, ſeptem virorũ teſtimonio, conuincendum eſſe quemadmodum proſcriptus ſuperatur, &c. Si itaq; in recenti facto deprehenſum, nihilominus ex iuris neceſsitate conuinci oportet. Quid cenſendum eſt de abſentibus, & in ius haud vocatis? Neq; enim ſatis eſt cæſi hominis cadauer iudicio exhibere, ſed in cauſis criminalibus requiruntur probationes luce clariores. Spec: Sax: lib: 1. artic: 63.

Prætera vt eſt in L. Diui: ff. de requirẽ: re: inaudita cauſa quenquam damnari æquitatis ratio non patitur.

At forte Rabula quiſpiam, & linguam, & animam habens venalem ogganniet, tam Iudicem, quam actorem, ſine ratione hiſce cittationum difficultatibus grauari, quin potius mordicus, retinendas eſſe longo tempore obſeruatas fori conſuetudines, id etſi ne ego quidem inficias eo, tamen illas duntaxat conſuetudines amplectendas eſſe cenſeo, quæ Iuri ſcripto non repugnant. Alioqui ſi nudæ conſuetudines Iudicem oculis animiſque tanquam ſcopus proponerentur, fruſtra videri multo ſudore leges à maioribus conditas eſſe. Et vt ſummæ iniquitatis eſt homicidia vltore gladio, quatenus iura permittunt, non perſequi vindicareq;, ita rurſus manifeſtæ crudelitatis eſt, ex Ineptis Iudiciorum formulis, & frigidis obſeruationibus innocentem capitis condemnare.

Quæ autem ſit vis & energia proſcriptionis, breuibus hic ex Saxonicorum Iuris conſultorum commentariis commemorabitur.

Eſt au-

Est autem de obseruatione Iuris Saxonici proscriptio, pœna & castigatio, quædm temporalia, non ab similis fere tum excommunicationi Ecclesiasticæ, tum etiam illis annotationibus, de quibus habetur in titu. ff & C. de requirendis reis. Licet tamen proscriptorum hæredibus, bona per successionem ad se deriuata, ab eisdem iurium vinculis libera reddere ad eum modū qui est expressus. S. S. li: 1. ar:38. in gl.

Et primo quidem anno ex proscriptione inferioris Iudicis, redditur quisq; suspectus, & grauatur eius æstimatio apud bonos viros, non tamen est infamis L. ff. C. de requi. re. Secundo vero anno vocatur proscriptio maior siue Regalis, in qua quisq; per annum & diem, vt ad normam Iuris Saxonici loquar, id est, vnius anni & sex hebdomadarum curriculo perseuerauerit, honoris, vitæ, & bonorum condemnatur, ita nimirum, quod redditur infamis & iure priuatur, omniaq; eius bona ad Regiam deuoluuntur potestatem, deniq; feudalia bona, domino vacant. Spe. Sa lib: 1. ar:38.71. Nisi fortè ex indulgentia atq; authoritate suorum Principum, proscripti suis iurium prærogatiuis restituerentur, vt in L. 2. ff. de sen: paß: & restitu. & in glo. lib: 3. art: 17.

Porro propter publicam quietem introductū est, quod Regali proscriptione damnati, extra omnem iuris protectionem positi esse censentur, & proinde neq; hospicio accipiendi, neq; ad mensæ cōmunionē sunt admittendi imo omnibus liberū est eorū capitibus violētas manus iniicere, siquidē in proscriptione deprehensi & de delicto fuerint conuicti.

Quin etiam obseruandum, quod in Regali proscriptione longius quam par est, perdurantes admittuntur quidem, vt per legittimam purgationem sese à diris proscriptionum sentenciis liberare queant, immunes quidem à vitæ periculo, famam tamen bonam & facultates propter cōtemptum Regiæ proscriptionis, censentur perdidisse. Atque ita sane in-

telligendus est, articulo 38. libro 1. Speculo Saxonum.

Proscriptis non licet contra quempiam iure agere, relicta tamen facultate omnibus, quibus visum est, illis litem intendendi.

Quicunque secum ipse constituerit à proscriptionibus sese exuere à Iudice postulet veniendi securitatem, quæ illi minime est deneganda. Spe: Sax: lib 2. art: 4. in glosa.

A proscriptione, in quam quis non cittatus, intrusus fuerit, potest se eadem ratione non vocato actore, liberum reddere: secus est de illis, qui ex iustis terminis propter contumaciam sunt condemnati. Lib. 2. art: 4. in fine glosæ.

De Appellationibus.

APpellationis remedium non solum vtile, sed modis omnibus necessarium est, litigatoribus Iudicium sententia se grauatos esse existimantibus: Corrigit enim iudicantium, tum imperitiam, tum iniquitatem. Ex præscripto Legũ Imperialium, liberum est à prolatione sentenciæ intra decẽ dies appellare. At iure Maidenburgen. cautum est appellationem in instanti fieri oportere. Spec: Saxon. lib: 2. artic: 6. Quæ quidem temporis breuitas, quanam ratione introducta sit, haud satis intelligo: Quis enim ita sibiipsi semper cõstat, vt sine deliberatione, in consultis amicis & Leguleis, tàm repente in animo suo secum statuere possit, appellandũ ne sit, an quiescendum? quum inueniantur plerique adeo stupidi, vt auditæ sententiæ vix verba ipsa satis capiant. Porro an à sola deffinitiua, & non interloquutoria sententia sit appellatio recipienda nec ne, nondum video à Iure consultis satis deffinitum esse. Sunt qui dicunt appellationi etiam locum esse ab interloquutoriis: quæ habeant vim diffinitiuæ: Quod si apud priorem Iudicem, quædam producta non sint, quæ ad causam ipsam, & veritatis lumen indagandum ma-

ximè

ximè pertineant, illa licet tam appellatori, quam aduersæ parti apud iudices vltimæ instantiæ proferre. L. per hanc C. de temp: app: & L. Eos qui §. Si quid autem C. de appell: Tempora autem prosequendæ appellationis conceduntur appellanti, & non parti aduersæ. Inde consequitur, appellatum, vt vocant non posse, quando sibi visum est litem persequi. De iure autem communi, anni spacium statuitur prosequendis appellationibus, vt vocatur fatale. Quod si primo anno absoluta non fuerit appellatio, tum authoritate & Decreto Iudicis, additur secundus & tertius annus, siquidem interuenerint legittima aliqua impedimenta ægrotationis, captiuitatis, aut aliarum rerum quæ in classem legittimorum impedimentorum contrahi solent. Sed apud nos sunt alia, conficiendarum appellationum distincta fatalia, vt pote sex hebdomadarum, si ad S. Regiam Maiestatem in Regno agētem prouocetur, & decemocto hebdomadarum, si tempore interpositæ appellationis extra Regnum degat. Apud subsellia verò Commissariorum, sex Ciuitatum fatalia prosequendæ appellationis, ad quamlibet illarum sessionem adstringuntur. Atq; vtinam huic vltimæ instantiæ sex Ciuitatū Iudicio, in quo de Ciuium fortunis agitur, viri in iure probe versati, quiq; omnem ætatem in studio iurisprudentiæ contriuissent, præficerentur. Nam quanta iuris peritia, quanta fides, ac synceritas desideretur à iudicibus, de summa rerū decernentibus, vbi nullus alius superest prouocationis gradus, manifestius est quam vt hic commemorare sit necesse. Etenim, quod in nullius contumeliam dictum esse volo, an fabri & lectores, è quorum collegiis nōnulli isti Areopagitæ assiscuntur, qui non leges, sed ferrum & salis glebas per totū vitæ cursū tractare solēt, de vsucapionibus, de hypotecis, de pignorū iuribus, de cōtractibus, nominatis & innominatis, & aliis id genus difficillimis causis ex iure respondere sciant,

videò à plerisq; in dubium vocari. Hinc incidit quæstio, an termini prosequendæ appellationis in vltima instantia perẽptorii sint, nec ne? Alii censent eos terminos omnino esse peremptorios, qui nisi essent, authoritatem principũ, ad quos prouocatur, labefactari oportere, quippe quorum sententiæ leuiculis quibusq; de causis, cum summa illorum indignitate rescinderentur. Alii rursus existimant, nihil prorsus decedere princípum dignitati, si legibus iudicetur, quarum ipsi sunt authores & interpretes, & adducunt §. & cum L. cum anteriorib: C. de temp: & repara. app. in hæc verba: Sancimus non in vnum diem fatalem standum esse in posterum, sed siue ante quartum diem fatalis luminis, & ipsum fatalem, siue post quinque dies, ex quo ortus fatalis effluxerit appellator venerit, & litem instituendam curauerit, & eam in cõpetẽs iudicium deduxerit, legi videri satisfactum &c. Quod de appellatore hic dictum est, idem de appellato intelligendum. Sed de tota huius quæstionis ratione quid statuendũ sit, neq; satis intelligo, neq; ad me pertinet, tamen fortasse tutius fuerit in benigniorem partem inclinare, & non quidẽ captionum aut tricarum, sed legittimorum impedimentorũ, quorum in vita humana satis multa, præsertim peregre profectis, & in itinere constitutis solent incidere, æquam rationem habere, deniq; paucorum dierum moram ferre potius, quam ad condemnandos reos, festinanter procurrere. Interim tamen nemini domi delitescenti, dolus & fraus patrocinetur, quorum authores, iustis pœnis sunt castigandi.

Hoc loco satis mirari nequeo, quod in hominum memoria auditum non est, aliquam in causis criminalibus, apud nostrates homines appellationem interpositam fuisse Iudicum ne iniquitate an reorum stupiditate & oscitantia, incertum. Nam si fas est in causis ciuilibus, ob vilem pecuniolam prouocare, quantò magis hoc licere debeat, vbi de capitis

periculo

periculo agitur. At manifesti iuris est, de quæstionibus & causis capitalibus esse appellationem permittēdam, quodq; iudices detentis in custodia reis, suas opiniones & refutatoria trasmittere debeant ad eorum scrinia, ad quos pertinet de appellationibus cognoscere §. Super his. L. eos C. de appel. & consult. Et eodem tit. L. Si quis. Sciant igitur cuncti sibi ab iniuriis & suspectis Iudicibus, & in capitali supplicio ac fortunarum dispendio prouocationem esse concessam: Ab hoc autem legis beneficio excluduntur homines palam facinorosi & scelerati, de quibus est textus in L. Obseruare. C. quorum appel. non reci. in hæc verba: ne quis homicidarum, veneficorum, Maleficorum, adulterorum, itemque eorum qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis conuictus, testibus superatus, voce etiam propria vicium scelusq; confessus, audiatur appellans &c. Equidem ad salutem hominum tuēdam cum primis pertineret, id quod multi pii homines summis votis exoptant, vt aliquando in meliorem ordinem restituerentur iudiciorum criminalium formulæ, quæ hoc tempore adeò sunt corruptæ, vt deplorandū sit tam negligenter de hominum capitibus sentencias ferri. Admouentur quæstionibus miseri homines nullis omninò grauibus, integritate & prudentia conspicuis, viris præsentibus, è quorum iudicio secundum personarum, criminum, & præsumptionum circumstantias, vel augenda, vel remittenda essent tormenta, soli adhibentur cum carnifice lictores cereuisia madidi: & ex istis, si Diis placet, quæstionibus nullo iuris ordine peractis, ex confessionibus denique per summum cruciatum extortis, depromitur sententia capitalis. Atque hæc geruntur apud magistratus vrbanos, quos ipsos videmus, audiendis iurgiis, & nihili causis, sæpè totam diem tribunalibus insidere, & nemo eorum dignatur accedere, quando hominis corpus discerpitur. Sed fortassis & illud

non

non minoris, & periculosioris est securitatis, quod homines priuati capitalia iudicia exercent, quibus rite peragendis, nō vnius, sed multorum grauissimorum prudentissimorumq; virorum sententias longo & fideli examine collectas, causæ magnitudo expostulat, maximè vbi de vita hominis agitur, hominis inquam, pro quo Deus Pater Cœlestis Filium suum Vnigenitum Christum Iesum Dominum nostrum, crucis ignominiosissimam mortem subire voluit. Quæ enim causa maiore cautione & synceritate merito tractanda esset, quam in qua Christiani fratris vita in discrimen vocatur? Atq; vtinam in vniuerso hominum genere non inuenirentur, à quibus canes Mollosi, aut Meliteri pluris fiant, quam obscuræ sortis homines. Tales impios affectus gignit ista mundana atq; etnica sapientia, quæ etiam natalium discrimina statuit, quasi verò omnibus in vniuersum non sit, vna eademq; nascendi ac moriendi sanè quam miserabilis ratio conditioq;. Ex hoc etiam fonte, promanarunt illæ barbaræ impiæq; leges de æstimatione humanorum corporum sancitæ, quæ etiamnum in hanc vsque diem mordicus retinentur ab his, qui luce Euangelii coruscante, iactitant sese ad veritatis cognitionem peruenisse. Sed crede mihi lector optime, crede, non longè abest dies ille horrendus, quo summi pariter atq; infimi sistemur ad tribunal Christi, de omnibus exactissimam rationem reddituri. Nullum ibi erit personarum & generis discrimen, ibi oculis nostris obseruabuntur inhumana facta nostra, si forte apud nos maioris precij fuerit bellua, quam homo Christianus. Et haud quaquam scio, an apud horrendum illud tribunal, statutorum aut Iuris Maideburgeñ rescripta cuipiam sint profutura. Proculdubio misericordissimus ille idemq; iustissimus Iudex, leges suas tuebitur diuinis oraculis nobis proditas, quas an homines traditionibus suis abrogare potuerint, incertum habeo, hoc certum est, Esaiam

Prophe-

Prophetam vah intonare iniquitatum legum conditoribus. Faxit Deus Opt. Max. vt qui vnum Patrem in cœlis agnoscimus, vnoq; cognationis vinculo per lauacrum regenerationis iuncti sumus, explosis humanæ sapientiæ fumis, Christianam charitatem & fraternitatem amplectemur vniuersi. In hanc digressiunculam vt descenderem, impulerunt me pleraque actorum capitalium Iudiciorum exempla, quæ horrescens recordor, per quã frigide & negligenter habita fuisse.

De exequutione sententiarum seu rei iudicatæ.

NEmo ambigit rebus rite iudicati standum esse: At ne quicquam feruntur decreta, quæ debitum minime consequuntur exequutionis effectum: Ideo maximè prospiciendum est ne vitiligatores & captiosi homines ansam arripiant vim, & authoritatem sententiarum temere eneruandi atq; eludendi. Hisce autem potissimum iurium remediis cogendi sunt rei ad satisfactionem, nempè captis pignoribus, pœna pecuniaria, manu militari, si forte reus violenter & de facto sese opponeret iudici, aut eius apparitoribus, ad exequutionem procedere volentibus.

Ad exequutionem sententiarum, semper vocandi sunt ei, ne eis ademptum videatur beneficium iuris contra illam, si voluerint, excipiendi Et extant sanè nonnullæ causæ, quæ exequutionem impediunt, vt potè si transactio interuenit, si debitum sit dissolutum: aut si debitor paratus sit, pecuniam numerare potius, quam exequendi rigorem experiri.

Et quemadmodum duplices sunt actiones, personales & reales, ita etiam suas quæq; peculiares habent exequendi formulas obseruationesq;. Et enim in actione personali pro debito, promissis, aut alia re quapiam conuictum. Iudicis partes erunt eum authoritate sua cogere, vt æs alienum numerans, decreto satisfaciat, qui si forte pecunia carens non

sit sol-

sit soluendo, recurrendum est ad eius bona mobilia, quæ creditori addicentur. Res tamen ad culturam agri pertinentes, pignoris causa non sunt à possessionibus abstrahendæ. L. pignorum. C. quæ res pig. ob non possunt. Quin etiam vsu receptum est, debitorem, prius quam pignoribus sese à creditorum nexibus, exuere possitiusiurandum dare oportere, se auro, argento, & pecuniis carere. Deficientibus autem rebus mobilibus, proximus gradus est ad fundos & res soli, in quarum possessionem creditor iudicis authoritate est mittendus: vt habetur Iure Municip. art. 27. 29. At si neque mouentia, neq; res soli extent, tunc peruenitur ad iura & nomina debitorum, siquidem liquida & confessa fuerint. Nam illa posse iure pignoris capi manifestum est §. Sic quoque L. A Diuo ff. de re. iu. Postremo si debitor nulla omnino, neq; mouentia aut immouentia pignora, neque certa nomina & debita, aut vadimonia habeat, tum ex obseruatione Iuris Maideburgeñ. vt habetur Spe. Sax. libro 3. art. 39. Iur. Municip. art. 27. debitor à Iudice in potestatem creditoris tradendus est: Sed hæc consuetudo iam exoleuit, tum quod propter æs alienum liberos creditoribus seruire iura non patiuntur. L. ob æs. C. de act. & obli. tum etiam quod legibus prohibentibus, nemini licet habere priuatos carceres. L. vnica. C. de pri. car. inhi. Hinc nostris temporibus oberati seruantur in publica custodia tanquā auiculæ caueæ inclusi.

At si debitor pignora offerat, illa vel per Iudicem, vt est Iure Municip. art. 27. vel per idoneos homines ad id delegatos sunt æstimanda præsertim si pignora consistant, in diuersis atq; exoticis mercibus, quarum precia vulgo sint incognita. Quod si pignoris valor summam debiti transcendit, quantulumcumq; id sit, ad debitorem pertinet. Sin vero vilitas pignoris, debiti quantitatem reuelare nequeat, pro residuo conueniendus est debitor, & ad solutionem præstan-

dam nouis pignorationibus, aliisq; iurium adminiculis cogendus Spe: Sax: libro 1. art. 70.

Porro tria sunt genera pignorum: Primum est prætorium, in cuius possessionem cautionis loco aut custodiæ causa plerumq; magistratus authoritate mittuntur creditores. L. Non est mirum ff. de pig act. & L. Si duo §. Creditores. ff. vti possidetis. Sed istius pignoris vsus recessit ab horũ temporum tribunalibus. Secundum pignus est conuentionale quod à debitore volente securitatis causa creditori traditur: secundum L. Contrahitur ff. de pig. Eius pignoris seruandi actuendi causa, non minor quam in re propria fides & diligentia præstanda est. L. Si cum venderet §. Venit ff. de pig. act. De casibus tamen fortuitis non tenetur. vt potè si pignus rite seruatum furto vel incendio periret, damnum redundat in debitorem, vt L. Si creditor & L. Quæ fortuito. C. de pigno. act. Creditor tamen iusiurandum ædet, id damni sua culpa non euenisse. Spe: Sax. Lib: 3. art. 5. Pignus ita traditum venundandum est. interueniente consensu debitoris. Quod si ille fraudulento consilio assensum præbere detrectet, implorandum est auxilium Iudicis, cuius authoritate pignus distrahatur, posteaquam ter ea res debitori denunciata fuerit, si forte in animum induxerit illud redimere. Tertium pignus est iudiciale, in cuius possessionem ex legittimo litis progressu, creditor iudicis decreto mitti solet, de quo habetur in L. A diuo Pio multis §. ff. de re iu. Ex huiusmodi vero pignore, siquidem annuos fructus ferat, vt sunt prædia vineæ, & alia eius generis, quantitas debiti reuelanda est, & fructus percepti in rationem exonerandi debiti merito sunt computandi. Lib: 1 2. C. de pigno: act. Sed horum temporum corruptissimi mores, & inexhaustum auariciæ studium, eam synceritatem non admittunt. Nam nullus creditorum nunc sustinet sibi fructus in sortem connumerari, tot in-

tercedunt cautiones, & sordidissimæ conuentiones pactio nesq; fieri vt id minime possit. Posteaquam vero ex pignorum fructibus atq; emolumentis creditori fuerit satisfactum, tum ex bona fide pignus ad dominum suum redibit. At si pignus nullum omnino fructum, nullaq; emolumenta ferat, ex quibus creditori possit satisfieri, eo in casu pignus est publicè distrahendum, & creditori, interueniente cautione, si res soli non possideat, tradendum, vt illud ter in locis publicis, de quindena in quindenam venui exponat, adhibito etiam præcone, cuius ore venditio publicetur. Quæ quidem venditio ipsi etiam debitori semper est denuntianda, si forte pignus suum velit redimere. Quibus rebus sic gestis, & præcedente eiusmodi denuntiatione, si debitor redimendi curã abijciat, pignus vendendum est ei, qui plus numerauerit: Sin vero nullus contingat emptor, Iudex reuolutis sex septimanis, pignus in satisfactionem debiti, creditori tradet, & si haud quaquam respondeat, quantitati æris alieni, aliis pignorationibus erit repetendum quicquid defecerit. Spec: Sax: lib. 1. art. 70. & Iu. Municip. art. 64. Cæterum pignoribus minimè extantibus, tamen personalis actio non tollitur L. Aduersus C. de act. & obli.

Et licet rerum iudicatarum summa sit authoritas, à quarum exequutione non posse prouocari iure, & constitutionibus cautum est. Extant tamen aliquot casus, in quibus licet ad hoc iuris præsidium recurrere, vt potè si litigatores per iudicem decreta exequentem, in æstimatione rerum grauentur. Et si iudex in exequendo limites sententiæ excedat, vt L. Ab exequu. C. Quorum ap. non re.

De damnis & Interesse.

DAmnorum actiones propter probationum difficultatẽ, retroactis annis rarissimæ esse solebant: Est autem propriè da-

priè damnum, bonorum diminutio ſeu ablatio. Damna ex violenta impreſſione & bonorum direptione commiſſa in anno & die præſcribunt, ita, vt ſi iniuriam paſſus, intra hoc temporis curriculum violatori litem non intenderit, amplius non auditur, Spe: Sax. lib: 2. art. 31. in gloſa. Multum autem diſcriminis eſt, inter illationem & quantitatem damni: Nam illa prius demonſtranda eſt, vt certo conſtet damnum factum eſſe. Ad cuius quidem facti probationem, non iuramentum, ſed teſtium legitima documenta requiruntur. Cæterum quantitas damni de iure communi ſecundùm L. Si quando C. Vnde vi. taxatione à Iudice facta, per iuramentum probatur. Quin etiam in iure noſtro ſtatur interueniente iure iurando, æſtimationi actoris, niſi reus valorem & precium ſuo viciſſim, iuramento minuerit, quod ei facere licet ex ſingulari Iuris Maideburgeñ. prærogatiua. Sp. Sa. lib: 3. art. 47. Inter damnorum actiones concurrit etiam intereſſe, nō quidem vſura, quemadmodum vulgus eam vocem falſo interpretantur. Sed quanti mea interſit hoc vel illud definito tempore factum aut perſolutū fuiſſe, (ſi quidem aliquid forte ex pacto numerandum, aut faciendum fuerat) Itaque illud damnum, ex rebus infectis proueniens, quæ tamen fieri debebant intereſſe vocatur: vt potè ſi ad Kalendas Ianuarias ex conuentionum pactis, Centum aurei mihi à Sticho numerandi eſſent, quos ille ad Kalendas Decembris ægrè tandem perſoluit, iam mihi tenetur ad intereſſe. De quo per Italiam & Germaniam inter mercatores frequentiſſimæ lites agitantur. Hic exigitur ſumma æquitas & prudentia Iudicis, vt litis expenſæ damna & intereſſe fideliter taxentur, ne alter ab altero ſe grauatum iri ſentiat, propterea quod eorum omnium difficillima ſit probatio.

De Litium expensis.

GEneralis est iuris regula, victum victori in expensis litis condemnari oportere, quod ideo fit, vt temere litigantium in effrenis audacia coërceatur: Iudex autem in condemnandis reis ex æquo & bono diligentissimam rationem habeat, si illi à quo impensæ petuntur, iusta agendi causa fuerit nec ne. Et nisi iudex appellationis, qui de principali negocio cognoscit, victum in expensis litis condemnauerit, id quod à parte victrice petendum, postea finita causa, nullam decernendi de his habiturus est potestatem. L. Transacto C. de fruct. & li. exp. Duplices autem sunt impensæ litis, quæ apud nos non admodum in vsu habentur, iure tamen peti possunt, vt impensæ contumaciæ, quas nisi actor persoluerit ad litem prosequendam nō admittitur: vt in L. Sancimus. C. de iudi Item impensæ litis impeditæ, quominus ad finem deducta sit L. Non ignoretis. C. de fruct. & li. exp.

Porrò in vniuersum omnes expensæ litis, quarum alioqui difficillima est probatio, per iuramentum probantur L. Properandum C. de Iudiciis. Iudicis tamen est, prius quam pars iusiurandum ædat, pro sua authoritate & synceritate, secundum personarum & causarum circumstancias, eiusmodi expensas, ad æquitatis & iustitiæ normam ac trutinam, summa fide examinare moderarique: Quam quidem moderationem petitor impensarum iuramento approbabit, quod in litem minus non insumpserit, & quanti iuratum fuerit, tanti reus condemnabitur. Fateor quidem mei muneris non esse, Iam pridem receptas & longo vsu introductas, forenses consuetudines meo calculo vel approbare, vel reiicere, neq; sum tam ineptus & stupidus, vt eam prouinciam mihi desumendam esse putem, tamen pro naturæ meæ simplicitate, præterire non possum quin profitear, mihi nimis quam durum &

iniquum videri, quod hac tempestate apud nostros magistratus nullæ aliæ expensæ in litem computantur, quam quæ publicorum actorum monumentis demonstrari possunt. At quantulum quæso illud est, exceptis cittationum, inscriptionum annotationum, sentenciarum, rescriptorum, & protestationum sumptibus. Nullum ibi verbum de aduocatorū, Iurisconsultorum, & Causidicorum honorariis (quæ in L. sancimus C. de Iudi. inter litium sumptus recensentur) nulla mentio de itinerum impendiis. Cogitur calamitosissimus homo quispiam à nequissimo litigatore seu vitiligatore potius protractus in Lithuaniam vsque sequi. S. Maiestatem Regiam, supremum appellationum Iudicem: cogitur ob inertiam & imperitiam secum trahere causidicum, magno conductum. Quanam obsecro ratione ille in omnibus diuersoriis adprobationis suæ subsidium, semper ad manum acta publica habebit, quæ nusquam loco moueri consueuerunt? Totiesné ad acta recurrendum, quoties causidicis numerandum, quorum tanta est rapacitas, vt in vna causa maiora sint conducendi, & alendi causidici impendia, quam quæ per omnem litem apud omnium Iudicū subsellia insummuntur. Sed ociosæ est ineptiæ & absurditatis à solis actorum monumentis, eo in negotio probationum fidem quærere. Sequamur potius Iuris prudentissimorum consilia, qui in eo casu præcedente Iudicis moderatione, actoris iuramento standum esse voluerunt.

De vulneribus & mulctis.

IN omnibus actionibus criminalibus, quæ petito precio æstimationis corporum humanorum, ciuiliter instituuntur, de iure, constituta est Iudici mulcta, & reo satisfactionis pœna, quæ vulgo partim Vergeldi, partim emendæ nomen sortita ex Germanica voce Besseren perperam interpretata,

 in vsum

in vſum forenſem recepta eſt, inde emendare vocant pro eo quod eſt reo ſatisfacere, & emendam recompenſationē ſeu ſatisfactionem. Et eſt Regula generalis. In quibuſcunq; caſibus actori emenda acquiritur, in eiſdem etiam reus cogitur Iudici mulctam exoluere, Spe: Sax. lib: 2. articulo 45.

Per actionem ciuilem (nam capitalium criminum cenſuram aliis excutiendam relinquimus) reus de homicidio conuictus, ad integri Vergeldi ſolutionem tenetur. Per Vergeldum autem, vocem barbaram & Saxonicam intelligendum eſt, illud iure conſtitutum hominis occiſi, vel membri truncati læſique precium, in quo definiendo, Iurium conditores ſecundùm diuerſitatem ſtatus hominum, illius quoq; quantitatem non dubitarunt metiri ac diſtinguere nimirum, vt plus numeretur pro capite & vulneribus hominis Banniti (ita enim ſuis loquendi floſculis vocant viros gerendo muneri Scabinali idoneos) minus vero detur colonis, glebæ accolis & cenſui obnoxiis: Quaſi, proh pudor, non vna eadēq; ſit omnibus naſcendi & moriendi conditio, aut quaſi colonorum corpora aliis viliora ſint cenſenda, quum paſsim videamus omnis generis morbos ex æquo imperium ſibi vendicare, tam in Principum Procerumq;, quam plebeiorū corpora, atq; vna propemodum ſorte omnia interire & contabeſcere, variis affectionibus, quarum nondum certum numerum medici inuenire potuerunt. Sed haud libet iſtas abſurditates non ſolum naturali, ſed etiā diuino iuri repugnantes in hoc epitome referre.

Porrò integer Vergeldus, vt barbaris interim vocabulis vtamur, conſtituit decemocto libras, & medius Vergeldus nouem libras, quæ quanti ad comparationem monetarum noſtri ſeculi ſint æſtimandæ, nullis certis indiciis colligi poteſt, tamen ſecundùm ſupputationem huius ætatis, Iuris peritorū integer Vergeldus conſtituit viginti florenos Rhe-

neñ. in moneta, qui fere æquali valore accedunt ad viginti florenos monetæ Polonicæ. Egregium sane precium hominis interempti, præsertim apud Christianos.

Vulnerum autem precia seu emendæ, quoniam in illis magna est diuersitas, diuersis quoq; rationibus sunt constituta. Nam quædam sunt vulnera duellaria, pro quibus emendatur actori medio Vergeldo, & iudici sexaginta solidis: Ea autem vocantur vulnera duellaria, quæ habent profunditatem vnguis in medio digito manus, longitudinem vero talem, qualem complectitur longissimus articulus eiusdem digiti. Præterea inter duellaria computantur etiam ea vulnera, quæ infliguntur in ore, in facie, oculis, naso, auribus, manibus, & pedibus genitalibus, etiamsi propter ossa & cartilagines eam, de qua dictum est, profunditatem & lõgitudinem habere nequeant. Similiter vulnera in capite per craneum, excussio vnius aut vtriusq; oculi, mutilatio nasi, ac in generali omnia vulnera vocantur duellaria, quæ in facie deformitatem ac turpitudinem, & in reliquis membris mutilationem adferunt, siue illa fiant cæsim aut punctim, siue trudendo impellendo, conquassando, aut aliis quibuscũque modis. Per mutilationem autem hic intelligenda etiam est priuatio naturalis, ac consueti vsus oculorum, aurium, oris, nasi, brachiorum, manuum, pedumq;. Eò autem nuncupabantur vulnera duellaria, quod illorum causa olim Saxonibus genuinam ferociam etiamdum redolentibus, duellum admittebatur, quod succedenti seculo est abrogatum, ne videantur à corporeis viribus iustitiæ præsidia mutuari, Spec: S. lib: 2. art: 16.

Item aliqua sunt vulnera simplicia, quæ cruenta quidẽ sunt aut liuida, neq; tamen sunt præfatæ longitudinis, aut profunditatis, neq; etiam intumescunt. Pro eiusmodi itaq; vulneribus, tum etiam si quis alterum obiecto mendacio contu-

meliosis verbis affecerit, aut ei capillos euulserit, deniq; aliis quibuscunq; modis ad actiones iniuriarum pertinentibus læserit, dantur eo in casu actori emendæ nomine solidi triginta, & iudici solidi octo. libro 2 articulo 16.

Item si manuum aut pedum digitos amputari seu grauiter vulnerari, aut dentes excuti contingat, pro quolibet, siue manus, siue pedis digito, pro singulis item dentibus excussis, decima pars integri Vergeldi actori numeranda est, & iudici solidi sexaginta. Lib. 2. art: 16.

Quod si forte vno quispiam casu, multis vulneribus duellaribus saucietur, tamen non nisi pro vno vulnere, omniū maximo medius Vergeldus actori præstatur, & Iudici sexaginta solidi: Alioqui si quatuor aut quinq; vulnera duellaria essent persoluenda, excederunt integrum Vergeldum seu precium hominis perempti.

In membro si quis denuo vulneratus læsusq; fuerit, pro quo constet illum antea emendam accepisse non opus est ei, vllam amplius emendam præstare, Iudex tamen eo in casu mulctam acquirit.

Mulieres gaudent medio duntaxat Vergeldo virorum, sed iudicibus eam, quam viri pœnam succumbunt.

Vulnerantes & lædentes aliquem non casu fortuito, sed dedita opera atq; animo deliberato, non solum ad Vergeldum numerandum, sed etiam ad curationis, medælenec non damnorū ac negligentiarum inde emergentium, satisfactionē, secūdum Iudicis æstimationē & moderationē, tenebūtur, id quod etiam Dominus in Exo: cap: 21. perscripsit: Vtpotè si egregio cuipiam artifici, pictori, aut notario truncata fuerit manus, qua ille suam suorumq; vitam sustentabat, tenetur vulnerans vulnerato, quam diu fuerit in humanis, in singulos annos tantum soluere, quantum ille labore ac industria sua annuatim sibi parare potuisset. Læsus tamen prius e-

dito iu-

dito iuramento comprobabit, se tantum annui lucri potuisse conficere. Atq; in hoc casu requiritur magna solercia Iudicum, qui dignam rationem habeant damni permanentis & lucri cessantis. Cum isto iure nostro consentiunt etiam ea, quæ scribit Speculator in ti. de accusatoribus §. 1. Quod si vulneratus recepta pecunia remisit iniuriam, tollitur actio iniuriarum, non autem actio legis Aquiliæ de damno dato, id est, læso nihilominus liberũ est pro damnis litem intendere.

In Cracouien. Scábinali Iudicio, magis, vt arbitror, ex recepta consuetudine quam aliquo iuris fundamento, Solidi Saxonici duodecim denariis computantur Polonicis. Hinc Maxima mulcta sexaginta solidorum constituit grossos quadraginta, & minor octo solidorum, grossos quinque, denarios sex.

Hic pius lector ob oculos ponat cæcitatem humani ingenii, quomodo in horrendos errores Deus nos labi permittat, quum antiquatis illius legibus nostras traditiunculas conamur orbi obtrudere. In Exodo & Leuitico Dominus immutabilem legem statuit, vt anima pro anima, dens pro dente, oculus pro oculo exigeretur. Et sane in casibus qui non fortuito, sed dolo ac fraude contingunt, minimum erat difficultatis, dentem pro dente excutere, aut oculum pro oculo eruere, vt haud quaquam opus fuerit nouas leges cōdere à diuinis longo interuallo dissidentes, imo qua fronte, ausa est humana temeritas leges diuinis oraculis proditas, abrogare & sua nobis somnia, nescio maiore ne impietate an stultitia impudenter ingerere. Quæ enim crassior stultitia excogitari potest, qua cæsi hominis corpus tanquam ad lances & trutinam examinatum, precio addicere, quod nec Papa, nec Imperator, neq; vniuersa vis humana potest vitali auræ restituere, & quum nullum in terris dignum precium inueniatur quod ad hominis perempti aut membri truncati iactu-

ram vlla ratione ſit conferendum ,cur non eo in caſu diuinas leges potiùs quam hominum figmenta, ſequenda eſſe putemus? Equidem ſi memoratæ Dei Opt. Max: leges quaſi poſt liminio ad Iudicum tribunalia reducerentur, in breui fore confido ,vt ſublata nimia illa & in effreni hominum licentia, minus eſſet cædium, quam nunc fieri videmus, dum opum affluentia legum impunitati coniuncta, ferocienti populo quiduis audendi, animos attollere videtur.

Iuſtinianus Imp. ſanxit L. Ex qua ff. Si quadrup. paupe. Liberum corpus æſtimationem non recipere. Nunc quum propulſata ethnica ſeruitute, omnes liberi cenſeamur,tamen inhumanitas barbaricarũ conſtitutionum etiamnum permanet, incertum ſi quando abroganda, ita enim natura comparatum eſt, vt quæ inueterata ſint ægre patiamur aboleri, Equitum cæſorum corpora, centum viginti marcarum precio cenſeri audiuimus. Et inuenitur caballus mille ducatorum pecunia æſtimatus: Quem quæſo vel micam ſenſus cõmunis habentem, iſta non offendant belluas quam homines pluris fieri. Ego in hominibus infimi ordinis eam animi magnitudinem deprehendi, vt vulnerum precia ſibi obtruſa aduerſarentur, indignum rati, carnem ſuam venui exponere: Quæ quum à vulgo fiunt,quid homines ſummo loco natos, facturos eſſe iudicamus? Et ſanè res admiratione digna videri poteſt, hominum precia in publicas eſſe conſtitutiones relata, quæ nemo ſine ſummo probro & turpidine valeat accipere exigereq;. Vtinam aliquando iſta æquiorem moderationem accipiant, eorum votiſſimum opera qui clauum Reipub: tenent, id quod multi ſũmis votis exoptare vidẽtur.

Breues ſucceſſionum Regulæ.

SEcundum præſcriptum Iuris Maidenburgẽ: tres ſunt ab inteſtato ſucceſſionum gradus. Primus eſt lineæ deſcendentis,

dentis, quæ complectitur filium, filiam, nepotem neptim, pronepotem proneptim, abnepotem abneptim, & si qui nascentur ab illis, quod propter humanæ vitæ breuitatem raro solet contingere. In qua quidem linea consistunt sui hæredes, Et Baldus in L. apud hostes. C de suis & le. hæredibus eandem successionem suitatem vocat. Saxones vero eandem ipsam descendentem lineam suæ gentis lingua sinum nuncupant, quod inde successio transferri non debeat, donec in eo hæredum nomina comprehendantur. Specu: Sa. libro 1. articulo 17.

Secundus successionis gradus est lineæ ascendentis, in qua suis sedibus continentur, pater, mater, auus, auia, proauus, proauia, abauus, abauia, qui omnes in iure parentum nomen obtinent. Atq; istæ personæ post descendentes succedunt præ omnibus collateralibus, eò, quòd hanc quoque lineam ascendentem sinum vocitent, quippe cuius cancellos succesio non egreditur, quam diu, (deficientibus nimirum hæredibus lineæ descēdentis) successores in eo reperiuntur.

Tertius gradus est collateralium, qui ad succesionem haud quaquam admittuntur, nisi deficientibus hæredibus lineæ descendentis & ascendentis. Porro in tertio gradu locum sibi vendicat frater, soror, fratris & sororis filius ac filia, fratris ac sororis nepos & neptis, fratris & sororis pronepos, proneptis. Et qui à sexu masculino descendunt, agnatorum nomen retinēt, ad quos tutelæ functio de iure spectat. A genere autē fœminino ortum ducentes, cognati nuncupantur.

Prima Regula successionis.

OMnes qui consistunt in gradu lineæ descendentis, siue sint mares, siue fœminæ, siue sunt in patria potesta te, siue non, æquis partibus succedunt, & præferuntur omnibus aliis, tam in ascendentium, quam collateralium linea consistentibus.

stentibus. Et enim vt supra commemoratum est, successio non transcendit septa sui sinus, quam diu in eo hæredes supersint, vt institu. de hære. ab intest. ve. §. 1. & in Auten. de hær. ab intest. ve. §. Si quis igitur. C. de suis & le. hæ. Insti. de seruili cogna. §. repetitis & Sp. Sax. Lib: 1. art. 3.17 & lib: 3. art. 76. in glosa Lib: 2 art. 23. & Iure Municip. art. 23. in glosa. Vnde perspicuum est, filios ac filias à morte parentum superstites, æquali successionis prærogatiua gaudere, nisi forte aliqui ex illis sint à parentibus emancipati, à quibus, quantum antea acceperint, conferendum est priusquam ad bonorum diuisionem admittantur: Quæ autem in collationem non veniant, habetur. Sp. Sa. lib: 1. art. 10. 13. & Iu. Mun. art. 57.

Secunda Regula.

OMnes qui in linea descendenti primum locum obtinent præferuntur omnibus aliis in secundo gradu consistentibus, nisi forte parentes eorum, qui in eodem secundo gradu continentur, nondum sint emancipati, tum illi loco parentum defunctorum in bona, in bona Aui & Auiæ sibi possunt iure repræsentatiuo, successionem in stirpes cum reliquis hæredibus vendicare, tantum scilicet accepturi, quantum ad ipsorum parentum, si in humanis essent, sortem dinosceretur pertinere, quemadmodum liquet ex Spe. Sax. lib: 1. art. 17 in glosa. Insti. de hære. ab intesta. ve. & in Auten. eodem ti. §. Si quis igitur.

Tertia Regula.

SI moriens nullis filiis vel filiabus extantibus, duntaxat ex filiis vel filiabus, prognatos nepotes aut neptes post se reliquerit illi simili ratione in succedendo omnibus aliis ascendentibus, & collateralibus manifesto iure præferuntur.

Quarta Regula.

DEficientibus autem hæredibus lineæ descendentis, successionis ordo ad lineam ascendētem deriuatur, in qua, si defunctus quispiam patrem reliquerit, illæ præfertur non solum matri, sed etiam omnibus aliis in ascendentium & collateralium classe positis. Eodem etiam modo patre non existente, mater pleno iure succedit, reliquis omnibus ascendentibus & collateralibus exclusis. Spe. Sax: libro 1. att. 17. Et in hoc casu iura Saxonica aperte pugnant cum Legibus Imperialibus, quæ in succesionibus, patrem & matrem, cum fratribus & sororibus defuncto, vtroque latere coniunctis æquare videntur, vt in Auten. de hære. ab intesta. ve. §. Consequens.

Quinta Regula.

QVousq; in directis descendentium & ascendentium lineis, heredum personæ inueniuntur. tantisper omnes collaterales à succesione excludi, apertí iuris est. Res est plana & perspicua, neque vllis opus habet exemplorum demonstrationibus.

Sexta Regula.

IN collateralium Successionibus quo quisq; est gradu propior, hoc maiori iure omnibus remotioribus anteponitur. Nam etsi interpres glosæ Germanice in annotationibus marginalibus Spe: Sax: lib. 1. art: 17. magno supercilio additis etiam conuiciis asseuerare pergit in collateralium successionibus ius repræsentatiuum admittendum esse. Quod quidē neq; ego negauerim secundum Leges Imperiales eam assertionem locum habere posse. Cæterum de iure Saxonico quo minus assentiar, retrahit me non glosarum dissidentium perplexitas, sed apertus textus Spe. Sa: lib: 1. ar: 3. cuius hæc

sunt verba: Qui autem se in proximiori gradu huic, de cuius hæreditate agitur, probauerit, præfertur ei qui vlteriorẽ obtinet gradum. Quibus verbis quid clarius, quid ad præsẽtem casum magis accommodatum dici potest? Nihil hic moramur Iureconsultorum, logomechias, quarum nullus est neq; finis neq; modus sed textum ipsum vtraq; manu cõplectimur: Neq; hic ad exemplum trahi debet, quod Nepotes & neptes, defunctis parentibus in Aui & auiæ bona, iure repræsentatiuo vocãtur, ita enim fieri debere expresso iure cautum est. Expressa nocent, non expressa non nocent. ff. de reg. iu. At hic in iure nostro longè est diuersa ratio, nimirum vt propiores semper remotioribus anteponantur. Porrò qui in vno eodemq; gradu cõsistunt æquali etiam successionis prærogatiua potiuntur. Hic animaduertendum est, fratres & sorores ab vtroq; latere, defuncto, de cuius hæreditate agitur, coniunctos (qui vulgato Saxonico loquendi more integri fratres & sorores vocantur) præferri fratribus & sororibus, vno duntaxat vinculo coniunctis, qui medii fratres & sorores vulgo nominãtur: Meminerit autem Lector, vt docendi causa dicam, integros fratres & sorores nuncupari, ab eisdem progenitoribus, patre scilicet & matre de cendentes: Medios autem fratres & sorores, qui ab vno duntaxat parente, siue patre, siue matre procedunt. Vbi autem defuncti integri fratris aut sororis filij filiæque, cum mediis fratribus aut sororibus in vita existentibus, simul concurrunt, æquali omnes successione perfruuntur, Sp. Sax. lib. 2. art: 20. Sublato itaq; iure repræsentatiuo, quod, vt commemoratum est, Iura Saxonica in collateralibus non admittunt, si nullus neque frater neque soror in viuis existat, quibus lateralis successio possit competere, tum recurrendũ est ad illam generalem regulam Spec. Sax: lib: 1. cap: 17. in Cracouieñ. exemplari obscurissime perscriptam, cuius hic

est sensus ex Germanico textu decerptus. Non existentibus neq; sororibus neq; fratribus, omnes qui se in vno cognationis gradu esse probauerint, æquam hæreditatis percipiunt portionem. Inde consequitur, quod fratrum filij in defuncti patrui bona non in stirpes, sed in capita, haud quidem repræsentationis beneficio sed iure proprio succedunt. Quemadmodum doct'ss. nostri seculi Iureconsultus Vlricus Zazius secundum Azonem contra Accursij & aliorum opiniones conclusit. Cui sentenciæ etiam adstipulatur Constistutio Caroli V. Rom. Imp. in Comitiis Spiren. Anno 1529. ædita, per quam, quicquid erat huius, controuersiæ, è Germania publico consilio est sublatum. Sed in hac parte vnicuiq; suum iudicium relinquendum esse existimamus.

Septima Regula.

IN adeunda Hæreditate nullum est discrimen inter marem & fæminam, quorum opera, quemadmodum ad propagationem generis humani ex æquo requiritur, ita etiam dignum existimarunt Iuris Maydenburgen. conditores, vtrũque sexum æquali successionis iure gaudere. A qua generalitate excipimus Geradam & arma bellica. Nam illã cognatæ, Hæc vero duntaxat agnati accipiunt, iniquissimo sanè instituto, si quis rerum circumstantias rectis rationibus expendat, vt antea quoque demonstratum est.

LECTO-

LECTORI
S. D.

Ecclesiastes scribit, faciendorum librorum nullum esse finem, proinde nemo mirabitur, si ego quoq; non librum ædere, sed cartas aliquot in gratiam iuuentutis perdere in animum induxerim, tamen ea omnia doctissimorum virorum censuræ subiecta sunt. Vale.

FINIS.